

SPIRITUALES  
PIÆ ANIMÆ DELICIÆ;  
SIVE  
DECEM CONCIONES  
SACRÆ COENÆ  
applicatæ, & Ecclesiæ explicatæ

A B

ABRAHAMO EYLSHEMIO,  
verbi Divini Ministro ia Beetgum  
& Englum.

Cantic. 6. v. 16. *Quàm pulcra es, & quàm amæna,  
ô Amor, in deliciis istis!*



V A R A D I N I,

Apud ABRAHAMUM K. SZENCIENSEM.  
M. D C. L I.

192

Illustrissimis Potentissimisque

D. D. Fœderatarum Provinciarum Belgii  
ORDINIBUS GENERALIBUS;

PATRIÆ DELICIIIS,  
ECCLESIAE NUTRITIIS,  
JUSTITIAE CLYPEIS,  
DOMINIS meis gratosissimis;

Vitam, Gloriam, Pacem, Salutem, à DEO, Fœderati  
Belgij Scuto & Triumpho, Chartâ atque Ani-  
mâ precor.

ILLUSTR. POTENTISS. DOMINI.

**D**E LICIAS nuncupo Spirituales  
hasce meas festivitates, sive synæcticas  
Conciones: Nam, nihil in mundo  
hoc immundo inadgarari, vel excogita-  
ri poterit, quod titulum hunc merear-  
tur, prater hasce meas conciones, piæ  
animæ voluptates, quibus illa, sacra in  
cœna, afficitur, reficitur, perficitur.  
sed, heu! eò stultiæ processerunt nonnulli, ut prava bonis,  
vana veris, corporalia spiritualibus, fragilia cœlestibus, præfe-  
rant, inque caducis hisce animæ delicias statuant. Utpote in  
corporis forma: sed qui in illa *Anime* sit delicium, quæ non cor-  
poris requirit formositatem; sed cordis sitit castitatem: quæ *A-  
nimæ pia*, non in externa hominis forma, aspectoris sœpè la-  
queo, libidinis fomento, mentis veneno, delicias suas colloca-  
tas habet: sed interna hominis forma, in fide, spe, & charita-  
te, quibus ornamenti illa ornata, pulchra, Christi ad cœnam,  
Christi ad scholam, advolat: quæ forma non Solis ardori, Aëris  
furori, ætatis potentiae, imbecillitatis violentiae subjecta est, ut  
momentanea illa hominis forma. Alii in Deliciis habent cor-  
poris robur, quo inimicorum catervæ formidabiles, amicorum  
coronæ amabiles, utrique laudabiles existunt. Sed quid illud  
est robur? Floris instar evanescit; roris instar perit. Quid il-

## P R A E F A T I O

Iud est robur? Vulneris, ætatis, mortis vi illud vincitur, atteritur, subigitur. *Anima*, *Anima pia* altius aslurgit, & hæc sublunaria supprimit, cœli viam premit, *robur* suum in vera fide, clypeo isto victorioso, querit, quo hostium spiritualium insulatum frangit, conatum illidit, illudit: quâ fide, ceu oculo, sacra in cœna, Christum, *robustissimum* illud salutis cornu, inimicis formidabile, amicis desiderabile, aspicit, diabolique despicit: cujus *robore* Goliathum infernalem dejicit, metumque omnem ejicit: cujus *robore* æternæ mortis vim infringit, & effugit. Alii, *valeudinem* summas esse *delicias*, crepan: licet *valetudo* corporalium *deliciarum* sit haud infima: licet voluptatum variarum sit scatebra: tamen cum possessore citò pereunte, & illa petit. Nam homo, miser homo, dolore exercitur, labore atteritur, morbi & mortis impetu subigitur. Homo, ipsissima vanitas, instar venti, instar fumi; instar floris, instar vaporis; instar herbæ, instar umbræ, citò evanescit. *Anima sancta* hac *valetudine* corporis invalidâ non acquiescens, alias sacra Christi in cœna *delicias* venatur, sanguinis Salvatoris nimium valorem, quo illa *valere* jugiter evalet: quæ *valetudo* quovis ære, quovis æthere perennior, adversitatis, vetustatis non concutitur flabris; nec morbi, nec mortis transfigitur telis. Aliis *voluptas* carnis summum est *delicium*: sed qui illud verum sit *delicium*, quod Dei iram provocat; quod corporis vires enervat; quod dolores maximos procreat? Qui illud sit summum *delicium*, quod tandem instar aculei pungit, instar veneni affigit, instar mali premit? Hac ergò corporis *voluptate*, cordis felle, jecoris peste spretâ, *pia*, devota *Anima* lacram ad cœnam tendit, ibique veram *voluptatem* offendit: nam lagenis *deliciarum*, mammis lætitiarum ibi recreatur, corroboratur, cibatur, Alii corporales *divitias* suas appellant *delicias*: sed qui illæ *divitiae* veræ esse possunt *delicie*, quæ possessæ onerant, desideratae malunt, perditæ macerant? Quæ corruptibles; quæ cœlestibus bonis inferiores; quæ luxus & fastus sunt fontes? Hisce *deliciis*, *divitiis*, vanis, vesanis, virtutis remoris, mentis laqueis, cordis spinis, impunitatis escis contemptis, *Anima* Deo consecrata, lacram ad cœnam volitat, ibi aurum, ibi thesanum; ibi margaritam, ibi opulentiam, Jesum Christum, verum animæ *delicium*, sibi comparat, quas *divitias*, quas *delicias* non in solo tantum, sed & in cœlo possideat. Quidam Honorem deli-

## AUTORIS.

ciarum titulo ornari, sed quā ratione, non video. Ab quantum  
 fellis huic melli; quantum doloris huic admixtum Honori est!  
 Quām lubricus est ille Honor! Instar sumi est, qui āērem pe-  
 tit, āēre ludit, āēre perit, & quō altius se tollit, eō citius eva-  
 nescit. Pia Anima hunc Honorem ut ridiculum deridet, ut fu-  
 gagem fugit, & sacram ad Eucharistiam se recipit, ubi in Chri-  
 sto gloriofissimo suam gloriam accipit quae gloria non æstimati-  
 one hominis, sed Numinis sita est: quae gloria non fluit ex  
 fluxis, sed Christi meritis: quae gloria non commutatur igno-  
 minia, sed amplificatur cœlesti corona: quae non morte termi-  
 natur, sed eā perfectē comparatur. Haud pauci summam di-  
 gnitatem & potestatem suas esse delicias clamitant: sed quomo-  
 do illæ tali condecorandæ laude, quæ in alios sèpè sunt injuriæ;  
 injustitiæ scatebræ; vanitatis magistræ; doloris plenæ; pos-  
 sidenti damnosæ? Anima electi, Deo dilecta illa dignitate,  
 illa potestate gaudet, quam in sacra spiritualium deliciarum  
 cœna, in Christo potentissimo reperit, & ita non perit: nam  
 illa potestate spiritualibus insultare hostibus; carnalibus impe-  
 rare cupiditatibus potest: & illa dignitas, potestas illa non no-  
 vit vesperam, ut mundana; ærumnam, ut vana; ignominiam,  
 ut illa momentanea potestas: sed beata, gloria semper appar-  
 ret, & Animæ delicias parat. Aliqui favorem Magoatum suas  
 nominant delicias. Sed quid ille est favor? vapor. Lunâ ille  
 mutabilior, aurâ levior est. Pia Anima sacram appetit Cœ-  
 nam, ubi defæcate illius demonstrantur deliciae: ubi favore &  
 amore; gratiâ & amicitiâ Regis Regum, IESU CHRISTI, frui-  
 tur; cuius amicitia ipsi ad gloriam cœlestem est via; cuius gra-  
 tia ipsi bonorum cœlestium est scatebra: nam per Christi a-  
 morem, cœli nanciscitur splendorem; per Christi favorem,  
 Paradisi adipiscitur odorem. Hæc jam Illustrissimi & Prepo-  
 tentes Domini, & Patroni, ANIMÆ PIÆ DELICIAE, sacram Cœ-  
 nam frequentare; Deum adorare, Christum adorare. Quid  
 enim suavius Dei Patris amore, Christi redemptione, Spiritus  
 Sancti consolatione, dari, excogitari potest? Quibus Deliciis  
 mundanæ deliciae sapidissimæ assimilatæ amarescunt; fragran-  
 tissimæ sordescunt; pretiosissimæ vilescunt. Illæ enim delicie  
 mundanæ sunt vanæ, quia in ipso oru sepè occasum vident.  
 Spirituales verò piæ animæ, sacra in Synaxi, deliciae nullis tem-  
 poris sepiuntur cancellis. Quando Anima pia, in Christo,

## P R A E F A T I O

omnia amabilia, desiderabilia, delectabilia offendit, nonne sunt veræ, sincerae illæ deliciae? Quando *Anima devota*, legitimo sacræ cœnæ usu, mœsta, in Christo solatium; ægra, remedium; egena, thesaurum; tentata, scutum; oppugnata, triumphum reperit, nonne sunt defactæ deliciae? Quando *Anima sancta*, sacra in cœni, famelica in Christo cibum, sitibunda potum, afflcta asyrum invenit, nonne sunt deliciae? Nonne sunt deliciae, quando Christus in sacra Eucharistia, medicina laboranti, lætitia lacrymanti, corona pugnanti *Anima* est? Nonne sunt verae deliciae, quando *Anima caliginosa*, sacra in ecœna, in Christo lumen; siticulosum flumen; dolens anodynum, quod dolorem sedat; deficiens acupon, quod lassitudinem fugat, acquirit, & ita cœlum querit? Hasce *Anima pia delicias* non mihi reservare, sed & aliis communicare volupe fuit: nam non mihi soli, sed & aliis natus, educatus, informatus sum. Quicquid ergo occupationibus meis suffurari evalui, illud sacræ hilice meditationibus consecrare decrevi, ut ita tempus, quo nihil præstantius, præstantissimis impenderetur rebus; & ego in domo Domini fidelis, tum linguâ, tum pennâ, Dei Minister à Salvatore salutarer, ab eoque coronâ coronarer. Vobis, *Illustrissimi D.D. Ordines*, hasce meas lucubrationes, hasce meas, inquam, Conclaves Ecclesiæ meæ viva voce instillatas, jam Ecclesiis donatas dedico, consecro: nam sub vestra, *Illustrissimi Proceres*, tutela hæc Halcyonia, hæc otia Muhs sara, enata, ut pia, & sedula mens aliquid meditari queat. Vos etiam *Illustriss. Domini*, clypei estis Politiae, Nutritii Ecclesiæ, ut iusque delicium & gaudium, ornamenatum & stabilimentum. Vos *Illustriss. Domini* hasce meas, & omnium Orthodoxorum delicias *Illustriss. Dominationi* vestrae natas, consecratas, datas serena fronte, benevolâ mente accipite, ut vestro splendore splendorem, favore favorem, mundi hoc theatro, *Illustris* vestro sub patrocinio, nanciscantur, & ita felices feliciter enanciantur. Hujus mei voti si fiam compos, non desinam imposterum sanguinem meum & succum, spiritualia mea dona, & bona, juvenum, fratrūque coronæ, humilimo, piisque calamo juxta ac animo, prætentare atque immolare, ut aureæ hæ brevissimæ vitæ meæ horulæ cum fruge fructuq; mihi pereant, conscientiæque tranquillitatem pariant. Faxit ille, qui cuncta fecit, ut hisce deliciis, consolationum venis, *Anime Belgarum devote* quam diutissimè

## A U T O R I S.

mè, quam ratissimè utantur, fruantur: & ut vos, *Illusterrimis Ordines*, in florente Republica, florentem Ecclesiam; in florente Ecclesia, *Deliciarum* abundantiam; in *Deliciarum* abundantia, vitæ sanctimoniam, læti intueamini, grati amplectamini: & ut semper, *vos Illusterriss. Proceres*, pauperum sitis solatia, & ita *Deliciae*; exulum perfugia, & ita *Deliciae*; clientum scuta, & ita *Deliciae*: *Deliciae*, inquam subditorum, consilii dexteritate, facti dignitate, pietatis amore, virtutis ardore, ut sanctitatis templa, aequitatis subsellia, civitatum mœnia, civium ædificia, *Illustri*, & felici vestro Regimine, se recreent, exsultent, triumphent. Daus ter Optimus Maximus, *vos Illusterriss. Proceres*, tanquam Fœderati Belgii recreamina, solamina, tutamina, & ita *Delicias* benedictionibus accumulare, ceu pupillam oculi conservare, & immarcessibili corona coronare dignetur. AMEN. *Dabam è Museo meo Frisico. Kalend. Maii.*  
*Anno recuperata salutis. M. DC. XLV.*

Illusterrimis Dominationibus vestris  
Devotissimus in Christo.

ABRAHAMUS EYLSHEMIES.

A 4

IN.

INDEX  
CONCIONUM ET TEX-  
TUUM, QUI HOC VOLUMINE  
continentur.

- I. CONCIO. Mensa pia animæ instructissima,  
*Psalm. 23. 5. Instru mensam coram me, &c.*
- II. CONCIO. Amoris Christi Speculum erga Ecclesiæ,  
*Canic. 5. 1. Comedite amici; bibite & inebriamini dilecti.*
- III. CONCIO. Spiritualis Tuba homines ad Deum  
convivium excitans, *Esaie 2. 3. Erantque populi  
multi dicentes: venite, ut ascendamus in montem Ie-  
hovæ, in domum Dei Iahakobi, ut doceat nos deus  
suis, & ambulemus in itineribus ejus.*
- IV. CONCIO. Spiritualia pia animæ tragemata, *E-  
saie 55. v. 1. 2. Heus quisquis sitit, venite ad istas  
aqua, & cui nulla est pecunia, &c.*
- V. CONCIO. Dei altitudo humilium est consolatio,  
*Esa. 57. v. 19. Nam sic ait sublimis & elatus, cuius  
nomen est inhabitans eternitatem, &c.*
- VI. CONCIO. Fons Solatii & Gaudii, pro Anima  
afflita & mœsta, *Matth. 11. 28. Venite ad me omnes  
qui fatigati estis & onerati, & ego faciam ut requie-  
scatis.*
- VII. CONCIO. Unio & communio Christi & Chri-  
stiani arctissima, suavissima, *Matth. 24. 28. Ubi-  
cunque enim fuerit cadaver, illic congregabuntur aquile.*
- VIII. CONCIO. Spirituale piorum ornamentum,  
*Luc. 15. 22. Dixit vero pater ad servos suis, proferte  
stolam illam precipuum, & induito eum, &c.*
- IX. CONCIO. Spirituale piorum Nutrimentum, *Luc.  
15. 23. Et adductum vitulum illum saginatum maecta-  
te, & edentes oblectemur.*
- X. CONCIO. Amoris Christi documentum, pia  
animæ oblectamentum, *Luc. 7. à v. 7. ad 14. Venit  
autem dies azymorum, quo oportebat maectari Pascha.  
Misit igitur Petrum & Johannem, &c.*

CONCIO



# CONCIO PRIMA,

T I T U L U S.

Mensa piæ animæ instructissima.

## PSALMI XXIII.

Vers. 5. *Instruis mensam coram me, è regione hostium  
meorum; delibutum reddit caput meum unguento,  
poculum meum exuberans.*

## E X O R D I U M.

**A**hasueri Regis Persarum potentissimi lautissimum, splendidissimum, longissimum *Convivium*, cui nihil vini, gaudii, honoris, voluptatis defuit; cui tota magnatum, procerum, principum corona adfuit; quod omnigenis, opiparis, delicatissimis ferculis disfluxit; quod spatium centum & octoginta dierum tantum clausit, summis condecoratur laudibus, Estheræ cap. i. Sed quid illud *convivium* respectu Jesu Christi *Convivii*; qui regnum possidet latissimum, soli cœlique terminis circumscriptum; qui non potens, sed omnipotens est, cuius *convivium* nullis temporis cancellis inclusum; cuius *convivium* abundat non cibo corporis, sed cordis; non stomachi, sed animi; non ventris, sed mentis; non fragili, sed perenni. Cui accumbunt non *Ethnici*, sed *Christiani*; non principes, sed reges, sed filii Re-

gis regum, immortalis. In quo, non aurea regis mortalis cernuntur pocula; sed immortalis regis amoris pignora; non vinum arridens ori, sed sanguis filii Dei satisfaciens fidei; non cibus, ut in Ahasueri epulio, reficiens viscera, sed Jesu Christi corpus, fovens cordis intima. O verè lautam, o verè faustam Cœnam! Ad hoc exoptatum, beatum, diu multumque desideratum, solenne, spirituale Epulum cum & nos impræsentiarum vocati, unanimiter confluxerimus, ad maiorem instimulandum appetitum, perponderaturi & contemplaturi;

I. *Quid Christus facit quoad necessaria copiose.*

II. *Quid Christus agit, quoad honorifica abunde.*

### V O T U M.

O Christe, hospes animarum juxta ac corporum largissime, tuo effice effuso super nos Spiritu sancto, ut fidei manu apprehendamus, fidei stomacho digeramus, oblata in lautissima tua mensa nobis fercula, ad nominis tui laudem, & nostram salutem, Amen, Amen, o Jesu, voluptas nostra, Amen.

### I. P A R S.

*Quid Christus facit quoad necessaria copiose.*

Observa.

I. *Rem ipsam, quam effecit.*

II. *Personas, coram quibus effecit.*

I. *Rem ipsam, quam Christus effecit, quod spectat.*  
*Instruis mensam, forsan hac mensa innuitur mensa in tabernaculo Domini panibus propositionis ornata, quæ typum gessit mensa Domini, in qua cuivis credentium corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi ex-*

sti exhibetur, 1. Cor. 10. Hæbreum vocabulum *Araeh* significat ordine disponere, qualis ordo in instructa bellorum acie vigeret, & in conviviis lautioribus elucet, ubi ordo, in ferculorum dispositione, varietate, suavitate, amabilis nitet. Ac si David diceret: tu, ô Deus, *Instruis mensam*, tu me invitas ad tuam communionem sanctam, ex mera tua gratia, nulla mea justitia; *Instruis* solo tuo amore, nulla mea dignitate; *Instruis*, ut tua eluceat munificentia, mea in indigentia. Tu *instruis mensam* lautam, *mensam* spiritualibus deliciis redundantem, animam recreantem, Spiritum renovantem. Tu *instruis mensam* ordine admirabili, amabili, delectabili; ordine, inquam, divinæ sapientiæ & justitiæ, meæ indigentiæ & inopiæ convenientissimo. O amore! ô favorem!

## D O C T R I N A I.

*Ex merâ gratiâ, gratiæ divine homines fiunt particeps.*

RATIO I. *Instruis mensam*, gratiâ, nullis meis praecedentibus meritis.

2. Quid enim mereantur pauperissimi, à divitiarum omnium fonte; mendici, ab immortali rege; miserrimæ creaturæ, à beatissimo creatore Deo?

3. Quid hic fluxa, quid hic caduca hominum bona prætent opera, ad illa immobilia, firma, æterna bona promerendum?

4. Quid conferant mortales ad amorem Dei (quod illos è corrupta massa suum in peculium, sanctum in populum, regale in fæcerdotium elegerit,) remunerandum?

5. Nullum h̄ic meritum, sed gratiæ divinæ offenditur indicium: Nulla merita, sed amoris divini sese produnt ubique vestigia: Justificantur enim gratis, per ipsius gratiam, Rom. 3. 24. Sic vocantur, sic sanctificantur, sic salvantur, sic fide beantur ex gratia, vide dicta, Ephes. 2. 8. Rom. 9. 16.

I. Usus. *Refutatio.* Erubescant igitur omnes isti, qui ita merita, merita sua jactitant: qui suis præparationibus multa arrogant; qui de merito congrui ac condigni mira somniant. *Instruis instruis,* non mereris, canit noster Psaltes ille regius. *Instructa est mensa?* Non mereretur ergo homo gratiam? *Instructa est mensa,* quia nulla h̄ic occurunt tua merita, sed hospitii munifici beneficia. *Instructa est h̄ic salutis mensa,* ex gratia; non requiritur itaque meritorum pecunia, Esa. 55. 1. 2. *Instructa est ex chatitate hæc communionis cum Christo mensa,* parata, inquam, sunt omnia, Luc. 14. 17. Quid insipidus vester caseus, panisque vestrorum meritorum putridus, inter tot opipara amoris Dei fercula, inter Nectar, Ambrosiam, manna cœlestis, Christi puta carnem & sanguinem, de quo Joh. 6. faciant? *Instructissima est mensa;* excluduntur ergò ab illa insulsa illa meritorum fercula. Non opus est h̄ic pecunia, Esa. 55. 1. 2. Regis liberalissimi *Instructa est mensa:* Gustet & videat in hac *Instructa mensa,* Hospitis & Regis; Salvatoris & fratriis munificentiam & gratiam vestra anima, Psal. 34. 9. *Gustate & videte bonum esse Jobovam: beatus vir ille, &c.*

2. *U s u s . C o r r e c t i o .* Corripiendi sunt & illi, qui ad hanc *Instructam* in S. ccena mensam, non *instrueti* mptiali

ptiali veste advolant, Mat. 22. Non *instruēti* sanctitate, non *instruēti* pietate. Qui rebus vilissimis, à pretiosissima; impuris, à sanctissima, Luc. 25. quisquiliis, ab *instructissimam* hāc gratiæ divinæ mensa avocantur. Invitat te ad hanc *instructam* salutis *mensem*, sed aures instar aspidis, Psal. 58.5. obturas: huic pulsanti cordis januam non referas: huic instimulanti repugnas, Apoc. 3. Mensa domi tibi *instructa* est charior, quām hāc Mensa à Christo tibi in S. Cœna *Instructa*. Pleno impetu cursitatur ad *Mensam* à carne, à diabolo, à mundo adornatam, quæ Mensa est via ad mortem, ut *mensa* Abschalonis, Ammoni; 2. Sam. 13. 29. & *mensa* Reginæ Estheræ, Hamani erat, Esther. 7. Ut mors erat in olla discipulorum prophetae, 2. Reg. 4. 40. Ita revera mortis æternæ origo est in *mensa* à diabolo *instructa*, cibus in *instructa* illa mundi *mensa*, est laqueus, Psal. 69. 23. fercula, venena: vinum, doloris perpetui principium; & omne mel, mutabitur in fel. Illa *mensa* est *instructa* ad sanitatem illorum corruptendum, mentem illorum obscurandum, memoriam labefactandum. Quæ *mensa* est animæ ignis, cordis pestis, conscientiæ vermis. Quæ *mensa* peccatorum est seminarium; vitiorum latibulum: ad omnia mala irritamentum. Quæ *mensa* est bonorum morum corruptio; sensuum depravatio; à Deo abalienatio. In illa *mensa* quisquilia, Luc. 15. non fercula animæ ornamenla, sed non nutrimenta reperiuntur, Estheræ 1. O tērque quatérque infelices, hanc *instructissimam mensam* non appetentes! diaboli enim convivæ sunt futuri in inferno, qui noluerunt

frui cœlo: ibi *instructam* offendit iræ divinæ mensam, qui gratiæ illius vilipenderunt cœnam: fercula in illa erunt tormenta; cibus, contemptus; potus, æstus, *Luc.* 16. *Apoc.* 20. 10.

3. *U*s u s. *Admonit.* Accedamus ad hanc Mensam *instructam*, quâ Christus seipsum nobis offert: *Instructam* divitiis gratiæ divinæ: *Instructam* sigillis gloriæ perpetuæ: *Instructam* signis vitæ beatæ. *Instructa* est mensa hæc cibo, potu, sanguine & corpore agni illius immaculati, *Ezai* 53. cibo saluberrimo, potu præstantissimo, quo nihil jucundius famelico cordi, quo nihil suavius sitienti pectori. Desideravit filius prodigus panes mensæ patris, *Luc.* 15. Exoptavit mulier Chananæa frui micis cadentibus de mensa Domini, *Matth.* 15. 27. Nonne nos *instructam* hanc amoris Dei Mensam, redundantem pane vitæ, appetamus, *Joh.* 6. 33. Quæ mensa est nutrimentum animæ, stabilimentum memoriarum, gazophylacium divinæ gratiæ: Quæ mensa est mel spirituale ori, remedium cordi, via cœli. O beatam cœnam! ô beatos te fruentes!

### D O C T R I N A I I.

*Omnia in negotio reconciliationis cum Deo, mirabiliter & sapientissimo modo sunt disposita.*

RATIO I. *Instruxisti* ordine & prudenter gratiæ tuæ mensam.

2. Deus primò quosdam in dilecto filio, ante iacta mundi fundamenta, elegit, electos tubâ Euangeliū exterrit, & efficaciâ Spiritus S. internè ad communio-nem sui vocavit, vocatos stolâ filii sui ornavit, justificatos glorificabit, *Rom.* 8. *Ephes.* 1.

3. Colla-

3. Collapsum hominem Deus primò erigit; erectum stabilit; stabilitum manu spiritus ducit; ductum instruit; instructum Christo inserit, ut ita sit membrum illius veluti capitum; palmes hujus vitis, *Job. 16.*

3. *Job. 14. 26. Ephes. 5. 23. Job. 15. 5.*

4. Qui in regno potentiae omnia suo numero, mensura & pondere depositis, nonne & ille Deus cuncta justo suae naturae congruenti ordine, in regno gratiae, ageret?

5. Qui præcipit per Paulum ordinem in Ecclesia: Ipse inordinate ageret omnia?

I. Usus. *Correctio.* Quis jam Deum insimulet inordinationis, qui *instruxit mensam* ordine optimo? Ita ut ordo ibi emineat admirabilis, fulgeat delectabilis, reficiat desiderabilis. Ahasueri convivium concinno ordine *instructum* si fuerit, *Esth. 1.* Dei lautissimum & beatum epulum ordine destitueretur? Deus qui est fons ordinis in natura, ille etiam est fons ordinis in gratia. Corporis mensam, ordine quodam decenti, qui vult *instructam*, cur & cordis mensam ordine quodam naturae suae congruenti adornatam non exceptaret? Nonnulli delectantur diaboli, mundi, carnis *mensis*, ubi exulat ordo, & regnat confusio. Qui enim in illa *mensa* vigeat ordo, ubi illius *Instructor* omnis confusionis est origo? omnis enim ordinis lucem, tenebrarum princeps odit; ordinis formositatem, deformis mundus fastidit; ordinis puritatem, impura caro contemnit. Hinc illa in *mensa* diaboli fames: in *mensa* mundi quisquiliæ, vel gluma: in *mensa* carnis libidinosæ insatiabilis sitis, nullus enim ordo

2. Ursus. *Admonit.* Advolemus ad hanc *Mensam* admirabili Dei sapientiâ *instructam*; omnia gratiae fercula ita ibi sunt disposita, ut quivis nostrum offendere queat ferculum non palato, sed *animo*; non *denti*, sed *menti* satisfaciens; *Instructa* ita est ista *mensa*, ut ordine justo fercula sint collocata: Ferculum reficiens, pro ægro, ex *Psal. 41.* Ferculum recreans, pro moesto, *Matth. 5.* Ferculum corroborans, pro infirmo, *Esa. 42.* Quando huic mensæ assidens, lætis ibi percipis auribus, Christum pro debitis tuis esse redemtionis pretium, *i. Tim. 2.6.* Contra iram Dei, placatum, *Rom. 3.25.* Contra Satanæ insultum, clypeum, *Ps. 91.* in persecutionis æstu, refrigerium, *Esa. 25.* in paupertatis luctu, gazophylacium: Nonne sapienter hanc *mensam* à Deo *instructam*, à Christo adornatam esse, tateri cogeris? Quando mensæ huic accumbens, ista fercula, tanquam amoris divini signa, salutis sigilla, Sponsi Christi pignora, intueris, nonne exclamandum est tibi: O admirabilem hujus *mensæ* *instructæ* ordinem! Quando autibus tuis ibi hauris, Christum tibi famelique presso esse cibum & potum, *Joh. 6. 55.* Tibi cæco, collyrium; tibi nudo, vestimentum, *Apoc. 3. 18.* Tibi afflito, solatium, *Matth. 11. 28.* Veritatem tibi esse, in errore, *Joh. 14. 6.* Pacem, in inquiete, *Eph. 2. 14.* Refocillationem, in defatigatione, *Matth. 11. 28.* Lucem in caligine, *Joh. 8. 12.* Nonne admirari cogeris hujus *mensæ* suavissimum ordinem? Admittetur Jahakob *instructas* suas armentorum, camelorum,

rum, servorum &c. acies, exclamans: Impar, (ô Deus!) sum omnibus his beneficiis, *Gen. 32.10.* Nónne admiratione capiamur *instructæ* hujus gratiæ divinæ *mensæ*, in qua tot lautissima, admirabili dispositione, fercula, animæ nostræ acerrima fame laboranti, offeruntur, æmulantes Jahakobum? Impares sumus, liberalissime hospes! minimo hujus *mensæ* splendide misso, imò micæ minimæ sumus impares. Admiratione rapiatur maximâ Davidis animus, cœlum, tot sideribus, veluti facibus, nocturno tempore coruscantibus; *Instructum* solum, tot frugibus, ceu dabus, adornatum, contemplans, ut in hæc proruperit verba emphatica, & pathetica; Quid est mortalis, quod memor sis ejus? aut filius hominis, quod visites eum? *Psal. 8.4.5.* Nos invadat summa hujus *mensæ instructæ* admiratio, in qua gratia divina splendet misericordiarum in tenebris, non instar alicujus syderis, sed folis; & in quâ obversantur ori & cordi, denti & menti sua oblectamenta, nutrimenta, fulcimenta. Quid nos miseri sumus, quod tanto nos amore dignatus es? Prædicet quispiam Cyri Regis Persarum horti dispositionem pulcram: nos hujus *mensæ* adoramus, ebuccinemus admirabilem ordinem, in qua ubique signa nobis occurunt sapientiæ Dei impervestigabilis & semper laudabilis. Ad hanc ergo *instructam*, Dei in S. Cœna, *mensam*, advolemus, fame instimulati acerrimâ; ut nihil magis sit nobis in votis, quam hujus frui ferculis, fidei fulcris, spei fondentis. Judæi Christo dicebant: Domine, da nobis semper istum panem, *Joh. 6.34.* Nostrum hoc unicum

fit votum: Domine, hospes largissime, tuā *instructā*  
 fruamur, ut amur semper *mensā*, animæ nostræ esca,  
 animæ nostræ animâ: In qua ordine jucundo noster  
 honor & vigor; lætitia & vita sese mutuo amplectun-  
 tur, & sese invicem sequuntur, Nulla discordia, per-  
 turbata rerum facies nulla, nullus bellorum æstus, dia-  
 bolorum astus, nos ab *instructā* hâc amoris Dei *mensā*  
 (quâ nitet ordo beneficiorum Dei in nos im meritos  
 collatorum ineffabilis,) absterteant. Ruat cœlū, pe-  
 reat solum, cuncta sursum deorsumque vergant, ani-  
 mæ nostræ invictū robur, ardor summus, per omnia  
 perrumpant ista obstacula: ut heroës Davidis, im-  
 perterritio animo, leonum instar, per castra Pelisch-  
 thæorum perruperunt, & haustam aquam è cisterna  
 illa Beth-lechemi deportantes, sitiensi Davidi attule-  
 runt, 2. Sam. 23. 15. 16. Et hospes ille munificentissimus  
 Christus nos famelicos impletet bonis, saturaret  
 beneficiis, Matth. 5. 6. Luc. 1. 53    *Percipiamus jam perso-*  
*nas coram quibus hoc effecit.*    *Observa.*

### I. Coram Fidelibus.

### II. Coram Infidelibus.

I. *Coram fidelibus.* *Coram me,* cantillat hic regius  
 Propheta; *coram me indigno;* *coram me tuo servo;*  
*coram me Abrahami filio;* *coram me tibi fœderato;*  
*coram me,* quem merâ ex gratia, ex infimo contem-  
 ptus loco, ad summum dignitatis thronum evexisti;  
*quem legis cognitione inibuisti;* *quem Spiritu tuo*  
*instruxisti.*

### D O C T R I N A.

*Fidelibus tantum parata est Dei gratia.*

RATIO

RATIO I. Coram me, qui tibi adhæreo, qui in bonitate tua spem radicatam habeo.

2. Illi ad hanc dapes vocati, *Luc. 14.* illi, inquam, Deo per Christum reconciliati, Spiritu S. ornati; *Col. 1.19.* sanguine Christi purgati; justificati, sanctificati, *Eph. 5.26.*

3. Illi convivæ hujus hospitis; palmites Christi cœvitis; oves hujus Pastoris; Sponsa hujus Sponsi; *Job. 10.* columba hujus dilecti; Soror hujus amici; *Cantic. Cap. 2.14.* & 8.1.

4. Illis est manus, ad beneficia Dei apprehendendum; Oculus, splendentem Dei benignitatem ad intuendum; Icrinium, ad clinodium illud custodiendum.

5. Illi abyssum adorant divinæ liberalitatis; illi se se humilant coram maiestate cœlestis Patris; illi gratitudinem demonstrant sui cordis, *Psal. 103.*

I. *Usus. Correctio.* Hæc mensa non est instructa coram vobis fercula illius, panem vitæ fastidientibus; coram vobis, famem animæ vestris meritis sedare satagentibus, *Esa. 55.* coram vobis, cum Eva, malum Dei gratiæ, *Gen. 3.* cum Israëlitis, allia Ægyptiacæ Mannæ, *Num. 11.4-5.* cum Esavo, pulrem, juri primogeniture, honorem hujus mundi, æternæ gloriæ, *Gen. 25.33.* favorem Dei gratiæ; voluptatem, hujus suavissimæ mensæ, præferentibus. Coram vobis, superbia inani turgidis hæc Mensa humilitatis magistra, *Matth. 11.* Coram vobis hypocritis, hæc mensa, sinceritatis amica, *Psal. 5. Matth. 5.* Coram vobis sanguisugis, harpiæ, hæc mensa liberalitatis scatebra, *Psal. 36.* Coram vobis

odia struentibus, hæc *Mensa pacis* doctrina, *Rom. 5.1.*  
*Coram vobis* peccati cæno circumvolutis, hæc *messa*  
 virtutum regina; *coram vobis* impuris canibus, hæc  
*messa* sanctitatis domina non est *instructa*, *Matth. 7.6.*  
 sed *instructum* est pro vobis supplicium; ut exstruetū  
 erat transgressoribus mandati Regis Persarum lignū:  
 ut illi convivæ nuptiali veste & festivitate destituto,  
 paratæ erant extimæ tenebræ, *Matth. 22.13.* Ita *instruc-*  
*tæ vobis* in inferno est iræ divinæ mensa; *instructa æ-*  
 terna miseria; *instructa* inauditâ ignominia. Væ, vñ  
 itaque vobis impiis diaboli convivis!

II. Usus. *Admonitio.* Unusquisque in seipsum  
 jam descendat, abstrusa pectoris sui percurrat, seipsū  
 excutiat, accuratum vitę suę examen instituat; num  
 onere peccatorum levari, *Matth. 11.* gaudio spiritua-  
 li immergi; Christo per fidem inseri; mandatis illius  
 trahi, cum Davide gestiat. Illa si in te deprehendes,  
 certò certius statuas, hanc *mensem coram te*, fidei, spei,  
 virtutis, humilitatis Davidis æmulo & socio, hanc in-  
 quam, divinę, inexhaustę benignitatis *mensem esse*  
*instructam.* *Coram te*, *instructa* erit hæc mensa, ad te  
 purgandum, ut flumen Jordanis ad Nahamanem Sy-  
 rum, *2. Reg. 5.14.* ad te ab omni malo liberandum, ut  
 Bethesda, *Joh. 5.4.* ad quovis morbo correptos erat à  
 Deo ordinata. *Coram te* cludo, erit hæc mensa in-  
 structa, ut regia Davidis mensa *instructa* erat pro  
 Mephibosceto utrōque pede cludo, *2. Sam. 5.8. Coram*  
*te* paupere, ut divitiis accumuleris *2. Cor. 8.9. Coram*  
*te* famelico, ut satureris; *coram te* humili, ut exalte-  
 ris, *Luc. 1.* *Coram te* contempto, ut honoreris; *coram*  
*te* co-

*te cœco, ut illumineris, Apoc. 3. coram te ægro, ut san-*  
*neris, Matth. 9.12. Esa. 53.4. coram te onerato, ut alle-*  
*veris, Matth. 11. coram te læprofo, ut munderis. Ah!*  
*Deus, quid nos, ut Tu sanctitatis fons, puritatis ori-*  
*go, Apoc. 4.8. Esa. 11.6. coram nobis Fordidis; Tu vite o-*  
*mnis scatæbra, coram nobis ob peccata mortuis: Tu*  
*qui lucem habitas inaccessam, coram nobis peccato-*  
*rum tenebris involutis, 1. Timoth. 6.16. Eph. 4.18. Tu*  
*gloriosissime, coram nobis abjectis; Tu beatissime, co-*  
*ram nobis ærumnosis, hanc tuę misericordię, & gra-*  
*tię, bonitatis & liberalitatis mensam volueris instru-*  
*ere, qui digni eramus mensā furoris tui, mensā irę tuę;*  
*mensā maledictionis, mensā condemnationis! Quis*  
*ad hunc amorem non obstupescat? Coram nobis fœ-*  
*dfragis, amoris mensam; coram nobis peccatoribus,*  
*gratię & justitię mensam; coram nobis miseris, salutis*  
*mensam instruxisti. O amorem! ô charitatem! In-*  
*tuere, mea dilecta anima, hoc convivium, tanquam*  
*charitatis speculum, liberalitatis Jesu Christi lucu-*  
*lentum testimonium, ad gratitudinem huic munifi-*  
*co hospiti præstandam, irritamentum. Hæc de fide-*  
*libus.*

I L. *Coram infidelibus.*

*E* *regione hostium meorum, meorum conjuratorum*  
*acerrimorum, qui mihi, meo honori, meæ saluti, in-*  
*sidas parant, prosperitatis meæ solem obscurare la-*  
*borant, benedictionis meæ fontem obturare ten-*  
*tant. Coram hisce igitur cum spiritualibus, tum*  
*corporalibus inimicis præ malitia freudentibus; præ*  
*invidia scè disruptentibus, exitium mihi struenti-*

bus, instructa mihi est lautissima mensa, voluptatis  
meæ spiritualis scatibra; spiritualis mea gloria; ani-  
mæ meæ vita.

## DOCTRINA.

*Deus suos beneficiis ornat, cum hostes illis exitium in-  
tentant.*

RATIO 1. Davidem, quem hostes vellent de-  
presum, elevat, quem vellent fame extinctum, libe-  
raliter tractat, quem vellent de honestatum, honorat.

2. Deus ornat suis donis & bonis, quos hostes  
omnibus opibus exutos, lætificat, quos mœrore  
consumptos, coronat longissimè vite usura, quos in-  
teremptos, exoptant.

3. Isaaco ubique ferè locorum scaturiebant uber-  
rimi & vivi fontes, invidentibus ipsi hoc Pelischtheis,  
*Genes. 26.* Lothum, quem Sodomites, cupiebant  
inperfectum, incendio eripiebat, *Gen. 19.* Israëlitas,  
quos Ægyptii tenebris mortis volebant involutos,  
gratiosa sua luce Deus beabat, *Exod. 10. 15. 23.* Danie-  
lēm, quem Darii magnates leonibus exoptabant der-  
cerptum, vitâ & gloriâ nobilitabat, *Dan. 6.*

4. Efficit divina benignitas, ut hostes illius, splen-  
dorem amicis splendentem, admirantur, ubertatem  
venerantur, suavitatem exsculentur, cum Abime-  
lecho, qui foedus propterea cum Isaaco Deo dilecto,  
pangebat, cum piis, ceu tot Isaacis fœdus pacifcan-  
tur, *Gen. 26. 28.*

I. Uſus. *Correctio.* Utinam hoc circumsonaret  
aures hostium nostrorum! ut beatitudine nostra spiri-  
tuali, ad gremium Ecclesie noſtre allicerentur; à ty-  
rannide

rannide & insatiable crudelitate contra nos abster-  
rerentur ! Quos enim illi solo, cœloque indignos,  
quos paibule, rogoque dignissimos, quos diris mo-  
dis excarnificandos, quos in exilium exturbandos  
proclamant; illos Deus polo, summoque honoris so-  
lio, condecorare, illos solatio & gaudio refocillare,  
illos variis modis oblectare, illos in cœlestem patriā  
transportare, decrevit. Coram nostris Jesuitis, Esavi-  
tis, Jebusitis, nostris *hostibus* acerrimis ; istis mensam  
opiparam instruit : nos è *regione* illorum cibat, re-  
creat, bonis omnigenis accumulat. *E regione* istorum  
*hostium*, nobis mensam splendidam instruit, melle &  
lacte, *Esa. 55.* bonitate & benignitate sua Deus nos  
reficit, omnigena beneficia in nos effundit. *E regio-*  
*ne hostium* hanc mensam beatam coram nobis in-  
struit, licet *hostes* nobis illam invideant, ut Pelisch-  
thæi Isaaco fontem, *Gen. 26. 14.* ut Esau Jacobo be-  
nictionem, *Gen. 27. 43.* Saul Davidi honorem in-  
videbat, *1 Sam. 18. 7.*

2. *Usus. Admonitio.* Gratiarum Deo immole-  
mus victimas, quod (quæ sua ipsius est infinita mis-  
ericordia) mensam sacram, salutiferam è *regione ho-*  
*stium* nostrorum, ut Anabaptistarum, Papistarum,  
Arminianorum, Lutheranorum, inter nos, ut lo-  
lium inter tritica; & lupi inter oves, degentium, in-  
struit. Ah ! benigne Deus ! quam multæ, nobilissi-  
mæ regiones hâc beatitudine, quâ nos gaudemus,  
spoliatae sunt: quæ præ fame & desiderio hujus ditif-  
simæ spiritualis mensæ contabescunt ferè & extin-  
guuntur, quæ nunquam apud hanc instructissimam

spiritualem mensam, ob gladios hostium evaginatos, ob rogos inflammatos, ob carnifices paratos, se se oblectare, aut ad illam proreptare ausint. Sed nos, (ô candidi dies, gratiae divinae faces,) serenâ hanc mensam intuemur fronte; nos læto ad illam, ceu panaceam, pede & mente volamus; *è regione hostium*, frementium, freudentium nobisque illam invidentium. Nihil enim illi *hostes* efficiunt suo fremitu, & minarum tonitru; nihil suo stridore & livore; nihil suis rogis incensis, & inauditis carnificinis; nihil suâ irâ & violentiâ; pro hac instructa nobis mensa; pro hac divina gratia, opes relinquere, acerbissimas persecutiones sustinere, & vitam effundere parati sumus. Nihil enim nobis dulcius in mundo, hujus Spiritualis mensae dulcedine; nihil pretiosius, hujus dignitate; nihil jucundius hujus voluptate; sine hac enim mensâ, suavitas omnis mundana, est acerbitas; gloria, ignominia; pretium, fumus. *E regione* jam *hostium* Deus nobis iustruit mensam, ad quam, volamus, ut aquile ad cadaver, *Matt. 24.* famelici, ad panem; ægri, ad medicinam, volitant. O Deus, fac nunquam fœlicitatis hujus sol nobis occidat; mensa hæc nos deserat; gratia tua à nobis aufugiat!

Hæc sufficient de primo concionis membro; jam hora nos vocat ad secundi membra tractationem.

### I I. P A R S.

*Quid Deus facit quoad honorifica abundè.*

Notetur.

I. *Quid Deus facit respectu recreationis mentis.*

II. *Respectu refocillationis totius homini.*

I. Re-

I. *Respectu mentis; Observa-*

I. *Quid facit.*

II. *Quomodo.*

I. *Quid facit. Delibutum reddis caput meum.* In istis regionibus solebant ungere nobiliores & singulares convivas, quos lautijs tractare satagebant, ut apparet *Luc. 7. 46.* *Oleo caput meum non unxisti,* David Iudeorum illud decus, & lux, Rex & Propheta ita voluit exclamare. Tu, ô liberalissime Deus, non instruis tantum coram me mensam, non me tantum invitasti tuam ad gratiam, sed & munificenciam. Non mihi tantum necessaria tribuis, sed & copiosia largiris, ut nulli regum totius universitatis dignitate & splendore, opulentia & potentia cedam. Ita jam, ô benignissime Deus, *delibutum reddis caput meum, caput toties hostium technis clapsum; caput* tibi tuoque populo consecratum: *caput Spiritu tuo sancto coronatum.* Tu, ô Deus fons omnium bonorum, hoc *meum caput reddis delibutum,* dum illud afficis, dum illud reficis, exoptata copiosorum tuorum donorum ubertate, ut *capitis* mei lingua tuas laudes decantet, *mensae* tuae optimè dispositae ubertatem juxta ac suavitatem celebret.

### D O C T R I N A.

*Christus suos convivas exhilarat.*

RATIO I. *Delibutum reddis caput meum.*

2. Gustandum illis suum amorem sinit, *Psal. 34.* De vita æterna illos certos reddit, *Rom. 8.* Gaudio spirituali illos perfundit, ut in cruce exultent, *Rom. 5.* in Domino tripudient, *Pbil. 4.* omnia acerba læto animo devorent, *Actor. 5.*

3. Hinc

3. Hinc illa Apostolorum, rebus in asperis, ex-  
porrecta frons, *A&t.5.* in persecutionis æstu, infractus  
animus; Hinc illa martyrum invicta patientia.

4. Quam abundè enim Prophetas, Apostolos, aliósque pios martyres, mediis in flammis, accensis ro-  
gis, ignominiosis patibulis, consolationis suæ dulce-  
dine refecit; ut ipsa ignominia, illis fuerit summa  
gloria; ipsa tormenta, Dei oscula; ipsæ virgæ, divi-  
næ benignitatis guttulæ, carnificum gladius, pater-  
nus amplexus; patibula, ad cœlum itinera; mors, vitæ  
cymba; accensi rogi, hujus cymbæ remi.

5. Deus est ipse metus suis fons solatii, gaudii, hono-  
ris, voluptatis, *Esa.12.* Hinc piis resultat, rebus in ad-  
versis, semper lætitia in pectore; hinc nascitur illis  
constantia in corde; hinc oritur illis hymnus in ore,  
*Actor.5.41. Rom.5.3.4.*

1. Usus. *Correct.* Utinam hoc multorum aures fe-  
riret! Multi enim *capite* abutuntur ad Dei ignomi-  
niā. Advolant ad hanc, instructam humilibus, men-  
sam, *capite* meram superbiam spirante; modestis pa-  
ratam mensam, *capite* lascivo & vano configurato  
mundo. Quorum *capillitium* vanitatis est indicium;  
quorum *facies*, ad ludicra, ad futilia illa mundi est  
conversa; quorum *frons* est ænea, impudica, aspera-  
ta, corrugata: Ita ut odii sit index, & ita diaboli cha-  
ractere insignata. Quorum *oculi*, tanquam fenestræ,  
vanitati sunt apertæ, quorum *aures* ad hospitis libe-  
ralissima verba occlusæ, *Psal.58.* & cacodæmonis ad  
crudelissimi allectamenta, referatae; Quorum *labia*  
sunt dolosa & fallacia, *Pss.5.7.* maledicentia & calum-  
niae

niæ spiracula: quorum lingua parva, *Jac. 3.6.* est prava, detractionis & detractionis scatbra. Talia capita Deus non *delibuta reddet*, nullo gaudio imbuet; Christus in convivio suo non *delibuta reddet*, nullâ voluntate perfundet. Quia illorum *capita*, vanitatis specula, impietatis palatia, officinæ vitiorum, scatbrae omnium malorum sunt. Non *delibuta reddet*, sua in mensa, vestra *capita*, sed mœtore afficiet, peste puniet, ut *capita* nullo gaudio *delibuta*, sed tristitia imbuta videantur: ut *capita* vestra misericordiarum vestrarum spitantia testimonia, iræ hospitis Jesu Christi, erga vos accensæ, viva documenta sint futura: ut *capita* vestra non cœlum, sed solum versus sint reflexa, fame exhausta, peste deformata.

O funestum illotum statum!

2. Usus. *Admonitio.* Quas huic benignissimo hospiti Jesu Christo gratiarum victimas immolemus, fratres charissimi, quod nostra *capita delibuta* hactenus reddiderit, gaudio repleverit, honore ornaverit? Quando hilce gratiae & munificentiae hospitis nostri Jesu Christi diebus, oculis nostris, in splendidissima sua mensa, illa amoris pignora aspicimus; manu accipimus, nonne *delibutum tum reddit caput nostrum?* Quando auribus haurimus amplissimas, dulcissimas, in mensa sua, illas promissiones; se nos famelicos saturaturum; se nos sitibundos potaturum; se animam nostram moestam refecturum, *Esa. 66.2.* nonne *delibutum tunc reddit caput nostrum?* Quando *judicium nostrum* suo Spiritu S. expolit, ut mensæ, cœnæ suæ mysteria capiamus; & memoriam stabilit, ut jucundas chari-

charitatis ipsius imagines, in sua mensa nobis oblatas, retineamus, nonne *delibutum reddit tunc caput nostrum?* Quando illuminat obscuratam mentem, & ad obsequium inclinat refractariam nostram voluntatem, nonne *delibutum tunc reddit caput nostrum?* ô quam *delibutum reddet caput nostrum* in magna ista cœli mensâ, Matt. 8. quando oculi nostri Dei majestatem, corporis nostri claritatem, Angelorum nobilitatem intuebuntur! Quando *aures nostræ cœli musicâ*, quando *nares cœli fragrantia replebuntur!* Imò, quando Christus ille beneficus hospes, *oculorum nostrorum gratissima erit lux, & pulcritudo; aurium dulcissima Symphonia; narium suavissimus odor; lingua- rum nostrarum refectio; labiorum nostrorum dulce- do!* O Jesu! animarum nostrarum delicium, mentis lumen, voluntatis desiderium, fac ut *caput meum, of- ficina illa rationis, tuæ laudi inserviat; ut ille rector a- ctionum, totum corpus ad tuum nutum regat: Fac* *facies mea te respiciat; fac mea frons, se verecundiæ & honoris sedem præbeat; fac mea lingua, ceu tuba, liberalitatem tuam ad cœlum usque evehat, Psal. 57.* *fac oculi lacrymarum rivos, ob ingratitudinem meā, effundant, Jer. 9. 1. fac aures meæ exoptatam illam, tuam ad mensam, invitationem, cum voluptate percipient;* *fac nares meæ mensæ tuæ suaveolentiam attrahant, ut ita caput meum totum à te delibutum reddatur.*

I I. Quomodo. Unguento, id est, fragrantissimo oleo & balsamo. Quo Spiritus S. innuitur, qui oleum lætitiæ appellatur, Psal. 45. Eo oleo Christus unctus est absque mensura, Joh. 3. Nos verò ungimur donis Spi- riūs

ritus S. secundum certam & definitam mensuram,  
quæ Deo placet, *Rom. 12.3. 1. Cor. 12.11. Eph. 4.8.* Hoc est  
quod Johannes dicit: Et vos, inquit, unctionem ha-  
betis à Sancto, & nostis omnia, *1. Joh. 2. 20.* & Paulus  
*2. Cor. 1. 21.* Deus est qui unxit nos, & obsignavit nos,  
& dedit arrhabonem spiritus sui in cordibus nostris.  
Ac si David Deum ita compellaret: Tu *delibutum*  
*reddis caput meum unguento,* id est, oleo gaudii, oleo  
Spiritus tui, quo non cerebrum tantum recreatur,  
sed & cor meum corroboratur, ut in benignitate  
tua exultem, hostium minas repudiem, nulla aspera  
reformidem. O præstantissimum oleum! ô efficacissi-  
mum unguentum!

## D O C T R I N A.

*Christus convivas suos ornat spiritus sui sancti donis &*  
*bonis.*

RATIO 1. *Unguento, canit, Delibutum reddis caput*  
*meum.*

2. Spiritu suo illos regenerat, illos sanctificat, fide  
donat, sibi inserit, adjungit.

3. Spiritu suo, quod languidum in suis est, exci-  
tat; quod infirmum est, corroborat; fœcundat cor  
illorum sterile, subjugat resistibile.

4. Spiritu suo, ceu igne inflammat in illis pre-  
ces; ceu clypeo, armat illos calamitatum contra in-  
fultum; ceu muro æneo, imo ignito illos invictos  
redit, *Zach. 2.*

5. Spiritu suo in illis progenerat in cruce, patien-  
tiam; in oratione, fiduciam; in morte, lætitiam, *Luc. 2.*  
*Rom. 8. & 5. cap.*

6. Illo Spiritu gignit in illis desiderium celestis patræ, amorem Dei, vitæ puritatem, Dei laudem.

7. Joh. 14. Rom. 12.3. 1. Cor. 12.11. Eph. 4.8. 1. Joh. 2. 20.  
2. Cor. 1. 12.

1. *Uſus. Refutat.* Quid h̄ic jam opera vestrā bona, quę ita crepatiſ, jaectatiſ, aliis recommendatiſ, o Pontificii, respectu hujus *unguenti fragrantissimi?* Sunt foetida. Nullus illis adhaeret odor, sine odore hujus *unguenti* Spiritus Sancti suavissimi: Absq; hoc balsamo pretiosissimo, vestrā bona opera in naribus Dei, merus ſunt foetor, graveolentia, cadaver. Et vos, cum non eſtis hoc *unguento spirituali delibuti*, Deo foetorem creatiſ; eſtis coram ipſo abominatio. Ita, ut accumbentes mensæ illius nullus infit odor, lepor colloquiis; nullus odor bonæ fragantiæ labiis: quia omnes vestrę precum & gratitudinis hostię foetorem effundunt, & graveolentiā ſuā Christum Symposiaſten offendunt, Eſai.1. & Matth.15.8. ita ut ab ipſo, ob intollerabile illorum virus, procul ire cogantur.

2. *Uſus. Admonitio.* Gratiſimus Christo, pro maximo hoc beneficio: quod ille cœlestis Aaron, *unguento* Spiritus S. prætantissimo unctus, voluerit & caput nostrum *unguento*, balsamo illo incomparabili, *Spiritu* S. oleo amoris ſui, delibutum reddere: reddere delibutum *unguento* fidei, ſpei, & charitatis: *unguento* meritorum, in Baptismo, ad mundationē; *unguento* vulnerum, crucis in ligno, ad nostri sanationem, Ps.103. *Unguento* Spiritus S. ut prompti parati que evaderemus ad bona opera edendum; ad volitandum instar aquilarum ad cibum animę noſtrā; ad pugnandum

## C O N C I O . I.

31

dum fortiter, instar athletæ; *oleo inundati*, contra antagonistam nostrum diabolum, *Ephes. 6.* ad decursum alacriter stadium nobis præfixum; ad incedendum jugiter in viis pietatis, sanctitatis, timoris Dei, amoris proximi. Omnes enim nervi, cum animæ, tum corporis nostri, Jesus Christus *unguento* vegetantur; fractæ vires hoc *unguento* reparantur; dissipatæ vires hoc *unguento* revocantur, *Esa. 40.* Mensæ Jesu Christi affidentes, exclamemus cum Sponsa illius: Ad odratum *unguentorum* tuorum, diffunditur nomen tuū (nomen liberalitatis, nomen charitatis,) *Cantic. 1.3.* O Jesu, quam suaviter olent omnia, ob hoc *unguentum*, gratiæ tuæ fercula! Quis illa non affectaret? Quis illa non delibaret? Quis hoc *unguento* delibutus, tuo in convivio, imposterum peccati venenum & factorem non devitaret? *2. Pet. 2.* Quoniam Christus, liberalissimus ille animarum nostrarum reector, nostrum caput tali spiritū; tali gratiæ suæ; tali benedictionis suæ *unguento* delibutum reddidit, delibutum quóque reddamus caput proximi nostri mœsti, *unguento* consolationis; afflicti, *unguento* liberationis, pauperrimi, *unguento* liberalitatis nostræ; ut ita, tanquā genuini & pii convivæ Christi existamus, cujus virtutes vita nostra meritò exprimendæ sunt, *Matt. 11.*

3. Usus. *Consolatio.* O quam suavissima inde emergit consolatio pro nobis! Delibutum reddidit Christus caput nostrum, immo animam nostram, *unguento*, Spiritu suo Sancto: *unguento* suo, oleo frangrantissimo, sanguine & merito suo: exultemus prælætitia, Mensa, Cœnâ gratiæ utentes, fruentes.

Hoc

Hoc enim *unguento* delibuti, illiti, nitidi coram hospite Christo comparemus, Eph 5.2. bonum odorem edimus, qui suavitate odoris, donorum Spiritus, nos suos convivas, afflavit & affecit. Hujus *unguenti*, hujus olei sancti suavitas, peccati virus profligat; precebus & gratiarum actionibus amabilitatem conciliat; ita ut divitarum gratiæ Dei compotes reddamur, & ipsi bona fragrantia Christi efficiamur. Cor. 2.16. benedictione Christi, tanquam bona fragrantia reficiamur. O *unguentum* fragrantissimum perpetuum, 1. Reg. 17.15. adumbratum! Quanta tua est suavitas, jucunditas, amabilitas, dignitas? sine te, omnia virus & fætor, sine te, cuncta sterlus & cadaver, sine te *unguento*, nullum homini robur, nulla agilitas ad boni quidpiam præstandum: Quam beata ergo mea anima es, quod tuus Salvator & cibator Christus, hoc *unguento*, Spiritu suo Sancto, te delibutam reddiderit: quod *unguentum*, tua est vita, tua lætitia, tuum perfugium, tuum in terra cœlum!

## II. Respectu recreationis totius hominis.

Obserua hic.

### I. Rem ipsam.

### II. Qualitatem rei.

I. *Rem ipsam* quod attinet. *Poculum meum*, per *Poculum* omnis generis beneficia spiritualia & corporalia innuuntur. Sicut ex adverso pœnæ, quæ impiis à Deo infliguntur, *poculo* quoque describuntur, Psal. 11.6. Depluet super improbos prunas, ignem, & sulphur: ventusque procellosissimus portio calicis eorum futurus est. Ac si David in hæc prorumperet verba:

verba: Benignissime Deus, in lauta tua mihi instru-  
cta mensa, non *dentem* tantum, sed & *mentem*; non  
*stomachum*, sed & *animum* meum miruni in modum,  
non *cibo* tantum, sed & *poculo* reficis: ita, ut tua beni-  
gnitas ubique luculenter se aperiat & plenissimum  
convivium innuat, cui nullæ spirituales deliciæ de-  
funt, sed omnimodæ adsunt.

## D O C T R I N A.

*Christus omnigenis suos convivias beneficiis ornat.*

R A T I O I. *Poculum* illis dat, id est, varia dona &  
bona.

2. Cum illis fœdus pangit; illos manibus, imò  
cordi insculpit, *Esa. 49*. Portat illos humeris; defen-  
sat illos manibus suis; circumdat illos angelorum-  
turmis, *Psal. 34*.

3. Illis hostilem contra irruptionem igneus est  
murus, *Zach. 2*. In decumanis hujus mundi fluctibus,  
portus; in penuria, thesaurus; umbra, temptationum-  
in æstu; gloria, in contemptu; corona in confliktu.  
In hac laboriosa vitæ peregrinatione, comes, hospes,  
brabeutes.

4. Illos nudos, stola justitiæ ornat; illos immun-  
dos, suo sanguine purgat; illos aberrantes, in rectum  
semitam revocat; illos captivos, in libertatem vindi-  
cat; illos mortis in agone, suo spiritu refocillat.

5. Usus. *Correlio.* Sunt meritò illi reprehendi,  
qui *poculum* Jesu Christi in suâ Cœna fastidien-  
tes, aliunde sitim levare aut pellere satagant; suis me-  
ritis, sanctorum intercessionibus, vigiliis & ejusdem  
farinae in epiiis aliis: Nam, quodnam solatii vinum  
istis

istis latitare potest poculis? quæ cisternis fractis, aqua  
destitutis æquiparantur, à Jeremia cap.2. 13. Qui si-  
ne sitis ardore ad hoc poculum affluet, ille nihil suavi-  
tatis in illo offendet. Gratia Dei, sicutientibus est pa-  
rata: **Ira**, illud fastidientibus poculum, est accensa.  
Et omnes ore fidei destituti hoc poculum non acci-  
pient, non poculum inquam gratiæ, sed iræ; non pocu-  
lum favoris, sed furoris; non poculum salutis, sed da-  
mnationis, 1. Cor. 10. non poculum benedictionis, sed  
æternæ maledictionis. Quomodo enim Christus il-  
lis traderet in splendidissimo suo convivio poculum  
charitatis, qui pluris faciunt poculum ebrietatis, à  
mundo immundo; poculum voluptatis, à pravo car-  
nis desiderio; poculum honoris, à diabolo insidioso;  
poculum superstitionis, ab Antichristo maligno, illis  
exhibitum? In istis poculis, non gloria, sed ignomi-  
nia; non lætitia, sed tristitia; non voluptas, sed acer-  
bitas, vobis miseris propinatur. In istis poculis non  
vita, sed mors hæret, ut in olla discipulorum Pro-  
phetæ; in istis poculis, non medicamentum, sed vene-  
num latet, ut in poculis Italorum. In istis poculis la-  
queus est vobis paratus, ut Psaltes canit, Psalm. 69. 23.  
demensis impiorum, & quando biberis ex illis, non  
levabitur, sed augebitur vakra sitis, ut in hydropicis;  
quo plus sunt poti, plus sitiantur aquæ: hic enim  
mundi potus, hæc mundi vana appetitum hominis  
non implent, nec sedant; sed augent, & irritant. O  
funestum horum poculi Christi contemtorum statum!  
Ventus enim procellosissimus portio calicis eorum  
futurus est, Psal. 11. 6. Illi fæces haurient ex poculo iræ  
divinæ, Psal. 75. 9.

2. Usus,

2. Usus. *Admonitio.* Quas Christo laudes decantemus pro hoc poculo, benedictionum fonte; pro hoc poculo, in suo convivio, amoris; pro hoc poculo favoris; pro hoc poculo pacis; pro hoc poculo salutis? In isto poculo, fratres charissimi, ceu in speculo, intuemur hospitis nostri Christi dilectionem; foederis sui nobiscum initi, firmitudinem; sanguinis sui, pro nobis effusi, valorem. Hoc poculo profligat nostrae animæ tristitiam; rerum caducarum appetentiam; Hoc poculo nobis exhibet potum suavissimum, saluberrimum, pretiosissimum: Hoc poculo se unit nobiscum, ludit nobiscum: Hoc poculo pacem propinat afflictis, sanitatem ægris, salutem miseris. O salutiferum poculum, beata es anima mea, illo, dum in hoc spirituali convivio, frueris!

II. Qualitas rei. *Exuberans.* Non nudum & vacuum, sed vino meracissimo plenum & refertum poculum, splendidis in conviviis, convivis exhibere solebant. Ac si David diceret: Tuum poculum, mi Deus, est poculum inebrians, poculum exhilarans. Non enim in mensa mihi instructa, parcè, sed abunde omnia offers, ut ubertate domus tuę inebrier, ut hostium insultus asperner, ut alacri animo cum illis lucter.

## D O C T R I N A.

*Non parcè Christus suos convivias, sed abunde reficit.*

R A T I O I. *Exuberans.*

2. Alexander ille magnus olim dixit: Magnos magna dare decet; Christus ille maximus, magna etiam suos voluptate perfundit.

3. Quia ille est ditissimus, perennis ille voluptatis & salutis fons, imò Oceanus, ex quo indesinenter maximi beneficiorum rivuli, ad suos fluitant, *Jac. 1.*

4. Hinc grata illa Christi, per Esaiam, vox: Oblectet se pinguedine anima vestra, *Esa. 55.2.* Hinc Davidis illa in Christo exultatio: *lætificat* vinum cor hominis, *Ps. 104.15.* Hinc illud encomium, quo Maria Christum ornat: *implevit* famelicos bonis, *Luc. 1.53.*

5. Idcirco prædicat hanc liberalitatem Christi Jacob, dicens: *Impar sum omnibus istis* beneficiis, *Gen. 32.10.* David *Psal. 8.*

6. Hinc ipsius liberalitas, divitiis, thesauris maximis comparatur. Ille qui jussit ministris, ut hydrias implerent aquâ, quam in generosissimum commutavit vinum, *Job. 2.7.* Ille etiam exclamavit: dilata ostuum, & impleturus sum illud, *Psal. 81.11.*

7. Christus in suis convivis tractandis non aspicit illorum inopiam, sed suam opulentiam, quam vult præeminere & enitere; pauca enim suorum necessitati; sed multa congruunt ipsius liberalitati.

1. *Usus. Correctio.* Qui delectantur non Christi, sed diaboli, sed mundi, sed carnis *poculo exuberante* peccatis, *exuberante calumniis, exuberante dolis; libidine exuberante, ebrietate exuberante, carnis voluptate exuberante,* illis in hoc spirituali cōvivio, à Christo non exhibebitur poculum *exuberans* beneficiis, sed poculum *exuberans* plagis, *Psal. 11.6.* *exuberans* felle & calamitate; *exuberans* dolore & moerore; *exuberans* sulphure & igne, *Deut. 4. Matth. 13.42. Ps. 11.* Hoc enim mundi & diaboli poculum, corpus occidit, bona disperdit,

perdit, mortem accelerat, damnationem creat, animam sauciatur, ita ut poculum illud sit *exuberans* omni miseria. Væ, vœ hoc poculo fruentibus.

2. Usus. *Correccio.* Exuberat, hic crux? in Christi convivio *exuberat* lux: Exuberat hic afflictio, Christi in convivio *exuberat* consolatio, 2.Cor.1.5. Exuberat hic calamitatis fel, in Christi epulo, *exuberat* voluptatis spiritualis mel. Exuberat hic tristitiae poculum? Ibi exuberabit lætitiæ poculum, ob pacem illam transcendenter captum nostrum, Phil. 4. Ob benedictionem sufficientem animum nostrū; ob liberalitatem Christi, gaudio imbuentem cor nostrum. Exuberans erit poculum, quia Christus est plenissima peccatorum nostrorum expiatio; plenissima divinæ justitiae satisfactionis; plenissima nostri cum Deo reconciliatio. Exuberans, nobis ô anima mea, in Christi cœna porrigitur poculum; quia illud poculum est thesaurus hospitum nostri Christi; illud poculum, est annulus sponsi nostri; illud poculum, est currus S. Spiritus sui; est speculum sui amoris; sigillum sui fœderis; est testimonium suæ liberalitatis, suæ nobiscum unionis & communionis. O exuberantiam hujus Christi poculi! Hoc poculo *exuberante* gratiâ, lætitiâ, & Christi hospitalitatis munificentiâ qui ore fidei fruetur, ex illius ventre flumina aquæ vivæ fluent, Joh.7.38. illius cor exuberabit verâ gratitudine, Psal.103. corpus verâ sanctitate, illius os perpetuâ Christi laude. Exuberabit in nobis Christi convivis invicta illa patientia, Christianorum clypeus: ardens oratio, noster portus; firma illa spes, nostra sacra anchora; jugis Christi laus, animæ nostræ

nostræ vita. Et Christus tandem in maximo illo cœli convivio, nobis porriget poculum omni voluptate, omni gaudio exuberans; quando nobis ad rivulos aquæ vitæ adductis, *Apoc. 7. 17.* de torrente deliciarum suarum bibendum dabit, *Psal. 36. 9.* & uberrimè pinguedine domus suæ nos replebit, *Psal. 36. 9.* O exuberantiam hujus poculi ineffabilem! quis hujus consideratione animam suam mœstam, hac in lacrymarum valle, non recrearet? *Audivisti;*

- I. *Quid Christus facit quoad necessaria copiosè.*
- II. *Quid Christus agit quoad honorifica abundè.*

### E P I L O G U S.

*David cœlo, solóque charissimus ille Rex, fluentia divinæ benignitatis perponderans, in hæc emphatica & pathetica verba prorumpit: Quid est mortalis, quod memor sis ejus? aut filius hominis quod visitas eum?* *Psal. 8. 5.* Nónne & hoc nostrum sit, hac faustâ horâ, effatum? *Quid nos sumus, ô Jesu Christe, hospes liberalissime, quod nostrum ita fueris meus amor, ut nobis famelicis & sibi bundis, hanc mensam amoris, mensam pacis, mensam salutis instruxeris; ferulis splendidissimis, sanguine tuo effuso, & corpore in ara crucis pro nobis immolato, ornaveris; & omnia spiritualia ista opipara fercula, sapientissimo, admirabili & adorando ordine collocaveris; coram nobis misericordia, in salutem; coram nobis indignis, in honorem; coram nobis abjectis, in exaltationem; coram nobis afflictis, in voluptatem; & è regione hostium nostrorum offendissimorum, in illorum delusionem. Quid sumus nos filii hominis, ô Christe, quod ita nos visitaveris!*

veris! quod ita delibutum reddideris caput *unguento*,  
 animum Spiritu tuo; quod porrexeris nobis *poculum*  
*exuberans*, amore, favore, solatio, gaudio; Propere-  
 mus ad hanc *instruetissimam mensam*, oculo fidei, ad  
 illius ordinem intuendum; manu fidei, spiritualia-  
 fercula, *poculum* apprehendendum; stomacho fidei,  
 ad illa, in salutem, digerendum. O beatos, hoc si  
 Praestiterimus! Christus tandem nos ab hac *mensa*,  
 ad cœlestem evehet; ubi voluptate perfundet ani-  
 mū inenarrabili, ubi pinguedine reficiet cor delecta-  
 bili; ubi *unget caput* cœlesti balsamo; ubi tradet no-  
 bis *poculum exuberans*, summo gaudio; huic largis-  
 simo hospiti Christo sit laus, ob benignissimam no-  
 stri visitationem; ob liberalissimam nostri tractatio-  
 nem; in hac cœna & infutura beatâ. AMEN, AMEN.

## C O N C I O I I.

## T I T U L U S.

Nobilissimum amoris Christi Spon-  
 si, erga Ecclesiam suam, ad convivium  
 invitatam Sponsam, Spe-  
 culum.

TEXTUS. Cantic. cap. 5. vers. 1.

Comedite amici; bibite & inebriamini dilecti.

## E X O R D I U M.

D E Christo, auditores & fratres charissimi, sub  
 persona Salomonis, admiranda ejus depingi-  
 tur suaviloquentia, dum canitur, Psal. 45.3. Infusa est  
 gratia labiis tuis. Nam Christus, non tantum mellis-

fluis verbis mœstos animos delinivit; infirmos erexit; languidos refecit; tentatos munivit, elevando gratissimam suam vocem: venite ad me omnes laborantes & sustinentes onera, & ego refocillabo vos, nam in me invenietis requiem animarum vestiarum, *Matth. 11. 28.* Venite ad me esurientes, cibabo vos, nam qui venit ad me, nequaquam esuriet, *Joh. 6. 35.* venite oberrantes, ego in rectam veritatis viam revo-  
cabo vos, nam ego sum via & veritas, *Joh. 14. 6.* Ve-  
nите languidi, ego corroborabo vos, nam ego sum  
ille Samaritanus, oleum & vinum vulneribus vestris  
infundens, *Luc. 10.* Non in Novo tantum Testamen-  
to, Christus suorum animos gaudio imbuit, volu-  
ptate perfudit, melle suavioribus labiis suis; sed & in  
Veteri Testamento suos refocillavit, clamans: Ne  
timeto, quia tecum sum; ne stupeto, quia ego sum  
Deus tuus; fortifico te, etiam auxilior tibi, etiam su-  
stento te dexterâ justâ meâ, *Esa. 41. 10.* Quum transis  
per aquas, tibi adsum, & per flumina, ne inundent'  
te; quum ambulas per ignem, non ureris, & flamma  
non incendet te, *Esa. 43. 2.* Tibi, in temptationis æstu,  
ero umbra, *Esa. 25. 4.* Tibi senio confecto, ero suspen-  
tatio grata, *Esa. 46. 4.* Tibi in lacrymis & squalore  
versanti, ero exhilaratio desiderata, *Esa. 66. 10.* Vos  
meis in manibus sculptos, *Esa. 49. 16.* Vos cordi meo  
impressos geram: vos famelicos nutriam: venite, ve-  
nite enim, vescimini cibo meo, *Prov. 9. 5.* Ne gratæ  
transfiliam brevitatis limites: Nónne hoc prælecto  
textu, salvatoris labia stillant melle? Nónne, inquam,  
sunt afflicti pectoris remedia, famelici convivia;  
mœsti

mœsti solamina; tentati asyla, perfugia? Illos etenim dilectos & amicos, sororem & sponsam, nominat; illis mensam opiparam repræsentat, ad illam suavissimis verbis illos allecat, invitat, instimulat, vocem elevans: *Comedite amici; bibite & inebriamini dilecti.* O dulcissima salvatoris & Symposiastis eloquia, saccharo suaviora, melle gratiora! Hoc tempore, ad hanc festivitatem, humanissimus; ad S. suam coenam, spirituale illud convivium, liberalissimus Jesus, nos, tanquam columbam & sponsam, sororem & gregem, populum & peculium, electos & dilectos vocat, invitat, & instigat. Quis nostrum ad hoc epulum amici & sponsi, fratribus & salvatoris, vitae & gloriæ nostræ, alaci animo & pede non appropinquaret, ad degustandum quām bonus, *Psalm.34.9.* quām benignus, quām munificus ille est? Methodicè & dilucide omnia ut explanentur, hæc sequentia perpondaturi sumus.

I. *Quis hic invitat.*

II. *Quos.*

III. *Ad quid.*

IV. *Quare invitat.*

### V O T U M.

Fac, dulcissime Jesu, liberalissime Symposiastes, nihil nobis tuo alloquio sit gratius, tuo convivio sit suavius; ut cum desiderio & gaudio, cum amore & humilitate ad illud cursitemus, ad esurientis & sitiens animæ nostræ refectionem, ad inexhaustæ & ineffabilis tuæ liberalitatis celebrationem, & in æternam nostri glorificationem. Amen, Amen, munificissime Jesu, Amen.

L PARS

*Quis invitat.*

*Quis invitat?* Christus ille effulgentia gloriae, & character personae Patris, *Heb.1.3.* Piorum clypeus & amicus; Piorum gloria & corona; piorum amator & propugnator. Qui illos impensius amat, quam sponsus suam sponsam, procul suam dilectam, maritus vitae suae sociam. Hic jam vocat, & invitat, & intonat illud, *comedite amici, &c.*

## DOCTRINA.

*Hinc, hinc, Auditores charissimi, summus & admirans Christi erga suos elucet amor.*

RATIO 1. Invitat enim illos, quos propellere; amat, quos odiſſe; in gratiam recipit, quos repudiare, meritò potuisset.

2. Altissimus, infimae sortis cum hominibus; ditifimus, cum omnibus donis & bonis exutis; formosifimus, cum Fordidis & deformibus; potentissimus, cum imbecillibus se jungit; jungit, inquam, amoris fœdere plusquam adamantino, æterno, *Esa.54.10. Hos.2.19.*

3. Illos à diabolo & mundo oppugnatos defensat; illos nudos stola justitiae ornat, *Ezech.16.8.* illos mœstos recreat, *Matt.11.* illos periculis expositos adjuvat, *Esa.43.* illos opibus exutos omnigena benedictione beat, *Eph. 1.*

1. Uſus. Correct. Maledictionis meritò fulmen illos jam percutiat, quorum aures hujus ad Symposiastis invitationem dulcissimam sunt obturatae & clausæ, *Pſal.58.* Quorum aures suavius demulcentur in invitatione diaboli ad vanum mundi honorem; invitatione

vitatione mundi, ad opum caducatum corrisionem; invitatione carnis, ad voluptatis pestiferę fruitionē. Erecte sunt aures vestre ad invitationem istius homicidæ diaboli, Joh. 8. Et occlusæ sunt ad invitationem vitæ Christi? Serpentis te magis, quām Salvatoris afficiat vox? Mundi te magis, quam cœli; carnis quām sacri codicis trahat voluptas? Ovesaniam! Illi, o homo, te invitant ad venena; hic salvator te ad salutifera medicamenta. Illorum invitatio est via ad interitum, 1. Joh. 2. Christi verò invitatio est tibi scala ad cœlum: Illorum invitatio est tibi fons perpetuæ calamitatis; Christi verò est tibi pons æternæ salutis: Illorum invitatio existet tibi primordium planctus, Luc. 16. Christi verò plausus: Illorum crucis, Apoc. 6. hujus lucis. Elige jam, utram mavis, invitationem: lucem, vel crucem; cœlum, vel infernum; gloriam vel ignominiam?

II. Usus. *Admonitio.* Assurgamus, assurgamus, jam fratres, suavissimæ Christi invitationi. Ille enim tanquam Pater noster, Esa. 9. frater noster, Joh. 20. 17. noster amicus, noster sponsus, Matth. 9. 15. nos ad fruitionem sui; ad fercula opipara; ad vulnerati nostri animi pharmaca; ad afflictæ conscientiæ nostræ solitaria; ad onerati pectoris levamina, Matth. 11. invitat. Accedamus ad ipsum, ornati virtutibns Christianis: accedamus tanquam sponsa pura, ad hunc Sponsum; ut morigeri liberi ad hunc patrem; ut fidelissimi subditi, ad hunc Regem; ut diligentissimi discipuli, ad hunc doctorem, Marc. 9. 5. qui nos suam sponsam, vocat ad nuptias; nos suos subditos, ad divitias, Matth. 6.

20. nos suos discipulos, ad coronam; nos suos liberos  
ad gloriam. Quid ergo nos tergiversamur ad hunc  
largissimum properare Hospitem, Patrem, Fratrem,  
Doctorem, Amicum, Sponsum? Quid obstat, quo  
minus alaci mente & pede, nos miseri ad hanc no-  
stram salutem, *actor.* 4. nos tentati, ad hanc arcem,  
*Matt. 4.* nos coram mundo obscuri, ad hanc nostram  
lucem, *Joh. 8.* curramus? Sed aperiamus aures, ad per-  
cipiendum alterum Concionis membrum.

## I I. P A R S.

*Quos invitat.*

*Quos invitat?* Non invitat hic symposiastes homi-  
nes, more suum, peccatorum in coeno sese volutan-  
tes; non opibus tantum mundi fragilibus inhiantes;  
non gloriolam aliquam momentaneam venantes;  
non propriam suam justitiam crepantes: Sed ille  
vocat, ille invitat hic suos *amicos*, suos *dilectos*, quos  
ipsius Pater ab aeterno elegerat, *Eph. 1.* quos ille pre-  
tiosissimo suo sanguine redemerat, *1. Pet. 1. 18. 19.* quos  
S. suo Spiritu sanctificaverat, *Eph. 5. 26.* Illos *dilectos*,  
illos *amicos* hic invitat, quos agnoscit fratres, sorores,  
oves: quos amat, ut pupillam, *Zach. 2. 12.* quos  
propugnat, ut amicam, *Cant. 2. 4. 10.* quos nominat  
suam columbam. Illos *dilectos*, quibus laborantibus  
est auxilio, afflictis solatio, *Esa. 66.* ad paupertatem  
devolutis thesauro. Illos *dilectos* invitat ad suum con-  
vivium, qui Salvatoris sui sanguinem sitiunt, justi-  
tiam expetunt, gratiam esuriunt, merita appetunt.

## D O C T R I N A.

*Credentes, credentes, tantum epulis Jesu Christi digni-  
estimantur.* RATIO

RATIO I. Christus enim hic invitat *dilectos, amicos.*

2. Illi enim tantum justitiam esuriunt, *Matth. 5.6.* illi Christum ceu fontem solatii perennem querunt; illi Christum, ut margaritam illam pretiosissimam, sibi acquirunt; illi, ut aquilæ fœse, ad Christi corpus, gratum illud cadaver, recipient, *Matth. 24.*

3. Illi soli nuptiali ueste ornati, *Matth. 22.* illi vocati, *Luc. 14.* illi soli ritè præparati; illi sanguine Christi purgati.

4. Illis solis oculi sunt fidei, ad hæc mysteria contemplanda; manus, ad illa sigilla gratiæ tractanda; lingua, ad illa spiritualia fercula degustanda; stomachus, ad illa digerenda.

5. Illis Christus est odor non mortis, sed vitæ ad vitam, *2. Cor. 2.* illis famelicis tantum est cibus, sitientibus potus, *Joh. 6.* illis abjectis gloria, illis ægris medicina, *Luc. 5.31.* illis afflictis ora.

1. U s u s. *Correctio.* *Apage, apage* ab hoc spirituali convivio hostes Christi. Recedite, recedite Christi Spiritui reluctantes, *Matth. 23.* sanguinem ipsius pedibus conculcantes, ipsius vulnera in vanum usurpantes; nam non estis illius *amici.* Procul hinc iterum peccatis fræna laxatis, in libidinem despumatis, Christi jugum repudiatis; nam non estis illius *amici.* Facestis hinc injustitiæ patroni, superbi, fucati; nam non estis illius *amici.* Amolimini vos hinc tenebrarum filii, rixarum magistri, invidiæ æstuantes, odio flagrantes; nam non estis illius *amici.* Quæ enim familiaritas, quæ consuetudo Christo intercedat iustitiæ fonti, vobis cum injustis; castitatis speculo, vobis cum

biscum impuris canibus; sanctitatis imagini, vobis-  
cum foedis peccatoribus; lucis origini, vobiscum  
tenebrarum amatoribus; humilitatis magistro, vo-  
biscum arrogantibus; pacis patrono, vobiscum liti-  
gantibus? Vos non estis ipsius amici, sed inimici: non  
ipsius dilecti, sed exosi, quos non exosculatur, sed de-  
testatur, execratur. Vos estis indigni ipsius convi-  
vio, quia vobis deest stomachus, ad hanc dapes di-  
gerendum; manus, ad illas arripiendum; oculus, ad  
illas recte aspiciendum, nimis vera fides. Intuear-  
mini quidem oculo corporis illa amoris Christi pi-  
gnora, illa gratiae divinae sigilla, sed illis non fruamini;  
ut olim Propheta equiti Samaritano incredulo  
minitabatur, *z. Reg. 6.35.* Quod David Regius ille Pro-  
pheta, de impiorum deliciis, quod illis laqueo, exitio  
sint futurae, *Ps. 69.23.* Illud mihi, & de mensa Domini,  
erit asserendum: illa enim ob impietatem vestram  
abominandam, vobis non refectioni, sed dolori; non  
medicamento, sed veneno; non benedictioni, sed ma-  
ledictioni; non saluti, sed condemnationi, & ita exitio  
& laqueo futura erit, *t. Cor. 11.* hic violatori sigillorum  
magistratus magna infliguntur poenae: putas, te  
Christi inimicum, sacrorum pignorum & sigillorum  
conspurcatorem divinis suppliciis elapsurum? Si za-  
gno Paschali nulli alienigenarum uti, frui licitum  
fuerit, autemas, tibi Iesu Christi inimico *S. Cœna,*  
frui concessum esse? Si Huzza *z. Sam. 6.67.* temere  
manum arcæ Jehovæ admovens, divinitus extinctus  
fuerit: Quę vos maneat supplicia, impurę manu tra-  
stantes & profanantes illa facra per arcem adumbra-  
ta? Si

ta? Si Jeho jadas Sacerdos exquisitam gessit curam, ne immundus quispiam ad sacra accurreret, illaque pollueret, 2 Chron. 23. 19. Nonne Christus *amicus* ille, ille piorum frater in hoc totus erit, ne foedis peccatis foedati ad mysteria, ad signacula foederis sui adventent? Si Ahasverus ille potens Persiae Rex, Hamanem Reginæ popularibus *inimicum*, à regalibus dapibus raptum, suspendendum curavit, Esth. 7. 9. Nonne Rex ille Regum potentissimus, *immortalis*, hostes suos mensa abstractos, in infernum detrudendos imperaturus est? Matt. 22. Si veste nuptiali destitutus, pedibus manib[us]que ligatis, sublatus, & in tenebras extimas præcipitatus est, Matt. 22. 12. Nonne illi Christi *adversarii*, nullo charitatis ornamento conspicui, in horrendas illas tenebras devolvendi sunt? Væ, væ itaque vobis Christi *inimicis* ad spirituales illas *amicorum* Christi delicias, advolantibus!

2. Usus. *Admonitio.* Executias te jam, ò homo, ad S. Cœnam accelerans, num sis Christi *amicus*, num illum diligas cum Davide & Asapho, tanquam sumum tuum bonum, Psal. 16. & 73. Num sis ipsius *amicus*, num ad præceptorum ipsius normam, vitæ tuæ cursum, velis instituere? Psal. 19. mundanæ hæc, in ipsius gratiam, flocci facere, Matth. 16. cum muliere ista, lunam, hoc est, sublunaria hæc conculcare, Apoc. 12. 1. crucis onus in te suscipere, per tolerantiam animam tuam possidere, Luc. 21. 19. Strictam crucis & lucis viam terere, Matth. 7. 17. sis paratus. Num sis *amicus* Christi, num sis promptus ad carnales affectus coercendum, carnis insultui ad resistendum, Marc. 9.

45. Christi jugum in te ad recipiendum, *Matth. ii.*  
 Num sis *dilectus* Christi, num tua oblectatio, cum Da-  
 vide, sit in Sanctis, *Psal. 16. 3.* ita ut illos, membra &  
 fratres Jesu Christi nudos vestire, famelicos nutrire,  
 languidos fulcire gestias. Num sis Christi *amicus*, ita  
 ut tibi ipsius verba præ melle sapiant, & sint suavio-  
 ra saccharo, *Psal. 19. 11.* ita ut ipsius nomen tibi mel in  
 ore, in aure melos, in corde jubilus sit: ita ut mentis  
 sit delectatio, amoris consummatio, tua gloriatio:  
 ita, ut nil tibi canatur suavius, nil audiatur jucun-  
 dius, nil proponatur dulcius, quam dulcissimus Jesus  
 tuus *amicus*; ita, ut paratus sis, vitam pro ipso effun-  
 dere, qui vitam suam pro te effudit: ignominia affici  
 ob illius causam, qui tanta ignominia affectus est tuā  
 ob gloriam. Hæc, hæc vera, viva, luculenta dilectorum  
 Christi signa: hæc clarissima amicorum Christi  
 specula: hæc dilectorum Christi sunt tessera. Depre-  
 hendis hæc amoris Christi in te vestigia? tum Christi  
*es amicus.* Animadvertis in te hæc dilectionis Christi  
 signa? tum es Christi *dilectus.*

3. Usus. *Consolatio.* Ah! ah! clamitant & inge-  
 miscent jam multi, quam obscura illa persentisco in  
 me *amoris* Christi documenta! Ubi enim in me illa  
 est fidei perfectio, ardens Christi dilectio? Ubi in  
 me maximum mundi odium, summum in cruce gau-  
 dium? Ubi illa in me viget invicta in cruce patien-  
 tia, firma illa in Christo fiducia? Eheu me miserum,  
 tærque quatérque infelicem! Quàm sàpè *amor* mun-  
 di me, à Christi *amore*, avocat! Quàm sàpè furor  
 djaboli me, dilectionis Christi in curriculo, retardat!  
 Quàm

## C O N C I O . I.

49

Quam sæpè avaritia, charitatem erga Christi *dilectos*, suffocat ! Bono esto tamen animo, mi frater : Jesus, ille *amicus* tuus, te infirmum *amicum* corroborabit; affectum amoris, sæpe ut effectum pensiculabit; cor-dis sæpe magis, quam operis tui molimina trutinabit: Ut pater nonnunquam filii sui voluntatem magis, quam laborem æstimabit. Christus claudicantis genua *amici* erigeret, defesso virtutem dabit, & defecto viribus robur copiosè suppeditabit, *Esa. 40. 29*. Fidei languidae ellychnium, oleo amoris sui, nutriet, *Esa. 42. 3*. Te Mephiboschetum claudum, in domum suam introducet, 2. *Sam. 9. 11*. Non etiam, fratres, ob afflictiones, tentationes, persecutiones, mortis irruptiones, trepidemus. Qui nos, ad hoc lautum convivium, invitat, noster frater, pater, & soter est. Hujus amor, afflicti pectoris sit vigor: hujus *amicitia*, tentati animi sit tutela: hujus *charitas*, contemti sit dignitas. Affligit te peccatorum turma? Hic Christus, tuus hospes, est tua Justitia, 1. *Cor. 1. 30*. Irruit in te mundus immundus? Hic Christus Sponsus, est tuum propugnaculum. Turris robustissima est ipsius nomen; quo accurrens justus, in edito collocatur, *Prov. 18. 10*. Premit te egestas? Hic tuus liberalissimus *amicus*, magna tibi erit merces laboranti, pretiosus thesaurus mendicanti, cum Abraham, *Gen. 15. 1.* & Davide, *Psal. 16. 5. 6.* Incumbit tibi peccatorum onus? Hic *amicus*, erit tuus refocillator, oneris tui sublevator, *Matt. 11. 28*. ut tibi promisit, ut tibi in S. Cœna confirmavit, obsignavit. Ille te stolâ justitiae ornabit; ille peccata tua, gratiae mœritorumque suorum oceano suffocabit; ille

D

Spiritu

Spiritu suo sancto te sanctificabit, ut coram ipso tuo Sponso, in S.Cœna, tanquam compta, ornata appareas sponsa, *Eph.5.27.* Ille tuus *amicus*, in temptationum tuarum æstu, tibi refrigerium; diaboli circumvento astu, asylum; perplexo, consilium erit, *Esa.6.9.* ut in S.sua Cœna tibi fidem fecit. Nunquam, nunquam, ô anima mea, hic tuus *amicus*, Jesus Christus te deseret, destituet, *Joh.14.18 Esa.45.10. Heb.13.5.* Ille in ignominia, tua gloria; in pugna, tua victoria; mortis in lucta, tua erit vita, *Joh.14.* Quid dulcior hæc dulcissima consolatione, ô anima, tibi S.in cœna solemni isto convivio, significata, ob signatâ, datâ? Per ponderemus jā:

## III. PARTEM.

*Ad quid invitat.*

*Ad quid jam invitat suos?* Non ad feedam apostasiam à Deo summo bono, ut Diabolus Evas invitab, *Gen.3.* Non ad detestandum incestum, ut ambæ filiæ Patrem suum Lotum allectabant, *Gen.19.32.* Non ad mortiferum convivium, ut Abschalomus fratrem Ammonem vocabat. Sed ad opipara fercula, afflictæ animæ solatia, mœsti pectoris gaudia; tentati cordis perfugia: ad alimentum animæ, ad cibum æternæ vitæ. Ad mel, quo quisvis Jonathan, quisvis fidelium, reficitur; ad Vinum, quo cuiusvis creditis cor ad gaudium extenditur; ad Lac, quo ardor ille temptationis extinguitur. Ad hæc bellaria, Ambrosiam, amicos suos, amicissimus; dilectos suos, dilectissimus; mendicos, ditissimus Christus, illos invitat, clamans: *Bibite, gustate quæm largus erga vos sim: Comedite vos esurientes justitiam, meam gratiam: Bibite vos sitientes salutem*

salutem, ex me, salutis petra, Deut. 32. gratum illum animæ potum, 1. Cor. 10. Joh. 6. Vobis famelicis hæc mensa est adornata, Psal. 23. Vobis sitientibus hæc Potio est donata. O mei amici, ô dilecti mei, quanto gaudio imbuerentur corda vestra, si afflueretis!

## D O C T R I N A.

*Hinc hinc liquet: usum S. Cœnæ, omnibus illis, qui illâ uti frui possunt, pernecessarium esse.*

RATIO I. Propterea invitat suos ad spirituale convivium, dicens: *comedite, bibite.*

2. S. Cœna est fidei alimentum, spei sulcimentum, amoris augmentum, cordis corroboramentum.

3. Speculum est Dei, erga suos, amoris; vinculum est credentium, cum Christo capite unionis; indicium piorum, erga Christum redemptorem, est grati pectoris.

4. S. Cœna fidelibus est scatæbra solatii, medicina cordis afflicti, via cœli.

5. S. Cœna est credentibus epitome omnium beneficiorum; annulus Sponsi; pignus amoris; thesaurus divinæ benignitatis; porta honoris; doctrina salutis.

6. Credentibus in S. Cœna obsignatur Dei patris favor, Dei filii Salvatoris amor, Dei Spiritus sancti fervor. Illis in S. cœna confirmatur, vim peccati, valore sanguinis Christi, esse fractam; flammarum iræ divinæ esse extinctam; Satanam, istum generis humani adversarium, infernalem istum Gigantem, Davide cœlesti esse prostratum, 1. Sam. 17. Infernalis illius Hazzæ portas, hujus cœlestis Schismachonis robore, esse dirutas, cœli portas, pro suis, esse referatas, Jud. 16.

7. In S. cœna, credentes ebuccinant Dei Patris benignitatem, Jesu Christi redemptoris amorem, Spiritusque sancti consolationem.

1. **Uſus. Refutatio.** Prodeant, prodeant, inquam, Patroni jam oralis, quam nuncupant, manducationis corporis Christi; *Comedite, comedite, clamitat Sponsus Christus ad fideles, suam sponsam: comedite, corde, non corpore; mente, non dente. Bibite, bibite dilecti, fide, non ore. Bibunt enim Christi sanguinem, comedunt eum, tanquam animæ pabulum, quamvis cœli ille possidet thronum. Nulla locorum intercedo amoris disrumpit vinculum; unionis amicorum cum Christo dirimit nexum.* Christus ille fidelium amicus gaudens cœlo, suis dilectis adest in hoc solo. Ex ipso, tanquam vite, vitam ipsius palmites hau- riunt, *Joh. 15.* & ita bibunt, in ipsius convivio. Ille, ut caput membris præsto est, *Eph. 1.5.* Spiritu, quo gu- bernantur, quo vivificantur, quo recreantur. Ille, ut Sol justitiae, *Mal. 4.* suos amicos gratiæ radiis illu- strat, quamvis corpore ab illis est separatus: ut Sol inferiora hæc illuminat, à quibus substantia tamen manet disjunctus. Ille est ille Aaron, à quo balsamum illud gratiæ ad oram vestium, ad *dilectos*, ad amicos, terram quidem pedibus prementes, sed cœlestia ta- men fidei alis petentes, defluit, *Pſal. 133.2.* Qualis hæc est Sponsi mensa, talia & ejus sunt fercula: illa spiri- tualis est scopo, fercula etiam ibi parata sunt animo. Non *corpus*, sed *cor* præcipue hic est reficiendum: Non *dens*, sed *mens* imprimis hic recreanda. *Fides, non corporalis esuries*, hic apportanda est. *Manu fidei hic*

hic cibus tangitur: oculo fidei amor hujus dilecti aspergitur: Non *corporis pede*, sed *cordis fide* ad hunc dilectum Symposia stenit. Credere in eum, ipsiusque amorem, est ipsius fercula comedere, *joh. 6.* Credere in eum, in ipsius sanguinem, tanquam redemtionis pretium, est ipsius potum bibere. Hi ergo dilecti, hic amici, qui cœlestia tantum in hoc convivio penderant, & non terrestria somniant. Fidei enim hic sponsus, hic dilectus praesens est: Fidei vinculo suis amicis unitus est: Fidei alis ipsius dilecti, tanquam aquilæ, ad ipsum desideratissimum animæ pabulum volitant, *Matth. 24.* Apage, apage ergo adversariorum deliria.

2. Usus. *Correccio.* O quām multi aures ad hanc suavissimam suavissimi invitationem claudunt, ilλasque patulas præbent mundi dolis, Satanæ technis, carnis illecebris, voluptatum lenociniis. Quām multi, proh dolor! pluris venenata illa Diaboli fercula, utpote avaritiam, superbiam, luxuriam; quām Dei gratiam, clementiam, opulentiam, ducunt. Haud paucis charior est mensa illis domi parata, quām illa in Ecclesia adornata, *Psal. 23. 5.* O vesaniam! Ibi terrestria, hic cœlestia: ibi quod nutrit corpus, animæ ædiculam; hic quod alit ipsam animam; Ibi offertur cibus caducus; hic æternus; ibi signa amoris universalis; hic particularis se produnt: Ibi te pascit pane, hic suo corpore; Ibi te reficit ex fonte; hic verò suo sanguine, ex suo latere profluente. Vilis tibi hæc spiritualis mensa videtur, ob illas dapes, panem & vinum? Sunt gratiæ signa, justitiæ sigilla; amoris

Christi erga nos testimonia; officii erga Deum & proximum specula. Grata tibi esset, ô homo, futura Regis mensa, nullis etiam deliciis splendens, ob signum favoris illius, & amoris erga te, quod præ se ferret: ingrata tibi jam sit mensa Regis illius immortalis, Regis Regum, *i. Tim. 6. 15.* quamvis nullis scatent mundanis delicatis eduliis? Nónne meritò amoris divini erga te evidentissima documenta, in oculos incidentia, tibi acceptissima sint? Tibi chara est margarita, etiam linteolo aliquo obsoleto, exhibita; cur tibi Christus pretiosissima illa margarita, in pane & vino porrecta, exiguis, mundi in oculis, ferculis istis repræsentata, non arrideret? Agrum, ob aliquam terræ particulam, per quam possessionem illius obtineas, non repudias: Quid asperneris Christum illum agrum, in quo thesaurus dilectionis Dei incomparabilis, tibi per panem & vinum, in S. cœna obsignatur? Si nosse, ô homo, donum illud Dei, illas divini amoris gemmas, salutis delicias, & quis sit ille, qui intonat illud: *edite dilecti, & bibite amici;* tu petiisses summo desiderio hasce dapes, hosce spiritualis voluptatis fontes, *Joh. 4. 10.* ut cursori pressus, intenso cursu fluminia petit, & appetit, *Psalm. 42.* Haud secus tu hunc potum, hunc gratiæ fluvium, hoc mel coeleste desiderares. Tu avidissimè hunc cibum, hunc bonorum cumulum appetens, cum Judæis exclamares: Domine, da nobis semper panem istum, *Joh. 6. 34.* Nam dilectissimi Christi Pastoris corpus, tibi *esurienti* oviculæ in cibum; & suavissimi Sponsi sanguis, tibi *sufficienti* sponsæ in potum, offer-

offertur; cur ergo hanc mensam, hanc amoris abundantiam respueres? Nonnulli ad hæc conjunctissimè Christi edulia se recipere nolunt, ob lites vicinorum communicantium. Illi cum Labano Jacobi tentoria periustrant, *Gen. 31.33.34.* Illi tum proximi, & non propriam vitam examinant; Non suos, sed vicini mores fugillant, & si quid illis levissima reprehensione dignum occurret, illico à S. cœna, ad quam *dilectissimus* Jesus *dilectos* suos invitat, abhorrent. O stoliditatem! Aliorum vitam dum inspicis, tuam negligis. Aliorum hortum, animum, inquam zizaniā vitorum dum liberare satagis, tuum illis vitijs obrui permittis. Aliorum mores dum carpis, tuos emendare non anniteris. Aliorum in peccata dum animadvertis, ad tua profligandate non accingis. Alios dum contemnas, temetipsum judicii divini rigori & fulmini objectas, *Matt. 7.1.* Hic Sponsus liberalissimus non clamitat: *Edite amici, Bibite dilecti,* alii si dignè meas ad epulas sint advolaturi. Sed hisce te affatur verbis! *Edite, edite vos mei dilecti,* mei *anicii*, quibus hæ deliciæ sunt paratae, hæc altilia parata, *Luc. 14. Matth. 22.* Abstineas ab *esu potuque*, ob alios, hisce alimenti fulcris abutentes? Quid damni, aliorum stomachus cibum fastidiens, tibi importet, tuus dum cibi appetentiâ est instimulatus? Accurrant ad hasce dapes nonnulli veste nuptiali destituti, inani arrogantia inflati, propriâ justitiâ innixi; quid mali in te, ex illorum impietate, redundaturum est, dummodo tu veste nuptiali ornatus? *Matt. 22.* Christi justitia indutus, dilecti hujus Christi amore instimulatus,

latus, gratitudinis stimulis erga ipsum impulsus, ad ipsum, ipsiusque convivium cursurabit. Aliorum impietas tibi non imputetur, ejusque poena nec tibi irrogetur: illos etenim feriat divini judicij fulmen, te vero reficiat hujus convivii & tui Sponsi flumen, *Psal. 36.* Alii ad hoc convivium accedere detrectant, illud rem adiaphoram aestimantes. Quorsum hoc convivium, clamitant? Deo Patri sumus reconciliati, sanguine filii sumus redempti, Spiritu Sancto sumus regenerati. Non indiges cibo hoc & potu? Quid Sponsum nostrum Christum ad hasce voces impulit: *Edito dilecti, & bibite amici?* Estis Christi sanguine redempti, cur edere, cur bibere, cur illius amoris, illius sanguinis signum & sigillum acceptare abnuitis? Estis Deo Patri reconciliati, cur edere, cur bibere, cur hujus reconciliationis tesseram ostentare recusatis? Estis Spiritu Sancto regenerati, cur edere, cur bibere, cur illius notam demonstrare dengatis? Sapientiam majori vos praeditos autumatis hoc Symposiaste clamante: *edite, bibite?* Si non laverote (compellabat Christus Petrum) nihil mecum habebis commune, *Job. 13. 8.* Si non edes, si non bibes, te alloquitur, nulla tibi amicitia mecum intercedet. Paulus gentium ille Doctor, naufragium passus, omnibus navigio fracto inclusis imperabat, cibo ut se reficerent, si praesens mortis periculum declinare eniterentur; cui mandato auscultantes, salvi incolmesque mortis e fauibus evasere, *Acto. 27. 33.* Christus vobis mandat, ut edatis, ut bibatis, ut dilecti vos reficiatis, naufragas hujus seculi undas superare, trans-

tranquillissimum cœli portum appellere, si elabore-  
tis. Hujus jam reluctemini imperio? vosmetipſos  
mortis æternæ in discrimen præcipitetis? vos ipſos  
cibo vitæ, potu lætitiae orbetis? Alii *edere & bibere*,  
ob lites quasdam inter ſe & proximum natas, fataſ  
recuſant. O execrandam impietatem! lites vos ab  
hac ſalutis menſa abſtrahant? proximum te ad iram  
inflammolle jactitas: ſed propterea tibi ab hoc gra-  
tiæ *cibo*, ab hoc concordiaꝝ *poculo*, abſtinendum erit?  
ob delicta proximi in te commiſſa, non *edes*, non  
*bibes*, non illa ſigilla remiſſionis peccatorum tuorum  
contra Deum perpetratorum accipies? Proximi im-  
portunitate, inhumanitate animum tuum perturba-  
tum eſſe clamitas, ſed propterea conſcientiæ, in le-  
gitimo S. cœnæ uſu, tranquillitatem venari, non ex-  
optes? Ignominiaſe notam famæ tuæ à proximo in-  
uſtam eſſe ingemifcis: ſed propterea non *edes*, non  
*bibes*, gloriaꝝ que tuæ futuræ perennis ſigilla, manu fi-  
dei, in S. cœna, non apprehendes? Hic, cujuſ vox  
jam verberat aures tuas, utinam & animum, tam  
multa, tam dira, tui cauſa ſuſtinuit; & tu ipſi, carniſ  
tuæ turbulentis motibus, ebullientibus pravis affecti-  
bus occurrere, illiuſque impetum frangere denega-  
res? Ille, qui hoc, *edite, bibite, dilecti, amici, ingemi-  
ſcit, crucifixus est, Matth. 27.35. cruciſige & tu vete-  
rem illum Adamum, cohibe & tu prava carniſ deſi-  
deria, Gal. 5. Christus eſt mortuus; moriatur & tua  
invidia, vindicta flamma, arrogantia. Si *edes*, ſi *bi-  
bes* ore fidei, ille medeatur omnibus iſtis tuis morbiſ,  
Pſal. 103. in ipſius convivio, oleum offendes polychre-*

ston & panchreston, quod omnia illa animæ tuae  
vulnera sanet. Hic *potus*, hujus dilectissimi Jesu san-  
guis, iræ divinæ ignem, mundi amorem extinguet.  
Tanta ast tua est inobedientia, & impietas tua abomi-  
nanda, tanta, ut truculentis istis tuis affectibus par-  
cas, nobilissimas virtutes ut supprimas ! Hoccine est  
Bar-Abbam vinculis desiderare solutum, Christum  
que cruci affixum ? *Matth.* 27. 20. Abrahamus filium  
suum, unicum, morigerum, dilectum, non veritus  
est, Deo imperante, aræ imponere, morti destinare,  
*Gen.* 22. & tu tergiversaris hostes tuos, Spiritui San-  
cto reclamitantes cupiditates, Deo mandante, truci-  
dare, mactare ? Esavus jus primogenituræ, contra  
Dei mandatum, vili pretio vendidit, *Gen.* 25.33. Et tu  
pravos, illicitos carnis impulsus, juxta Dei præce-  
ptum, repudiare subterfugis ? Syllæ es de prosapia,  
cujus ira ne an vita prius extincta fuerit, ambigitur :  
de genere satus es viperino, vitæ enim authorem in-  
teremisti, & nulla illius sceleris duceris poenitentiâ.  
Quibus, hic hospes Jesus Christus, te verbis, ultimo  
in die censorio, justitiæ suæ clarissimo speculo, allo-  
quetur ? Nónne in hæc erumpet verba ? Quoniam  
detrac̄tasti meæ accumbere mensæ, mea frui muni-  
ficienâ, meis recreari deliciis; recedite à me, ad Dia-  
boli hostis illius vestri infensissimi fercula, iræ meæ  
indicia, justitiæ meæ, in S. cœnæ meæ contemptores,  
signa. Digni, digni enim vos estis hisce calamitatis  
tenebris, *Matth.* 22. qui benignitatis meæ radios in  
convivio meo splendentes, sūsq[ue] déque habuistis.  
Digni sulphure, dignissimi igne inextinguibili, *Esa.*

66. quorum pectora suavissimas ad meas invitatio-  
nes, ad epulum meum, perfrigida manserunt. O vo-  
cem horrendam! Trutinate ergo jam hæc & rumi-  
nate, ne illa vos obruant mala, & feriant fulmina.  
Alii non audent ad hasce spirituales dapes accedere,  
prætexentes suam indignitatem, cum Petro exclamando: Discede à me Jesu, quia homo sum pecca-  
tor, *Luc. 5. 8.* cum illa Petri verba ex perterritio, & me-  
tu prostrato animo profluxerint. Quid, mortalis,  
prætendis tuam indignitatem, ex mera hypocrisi?  
Audes thronum altissimi, sanctissimi, ropalo precum  
pulsare, & ad liberalissimi Christi convivium vereris  
advolare? Spe hac nutritur, te cum Abrahamo,  
Isaaco, Jacobo, gloriofissimis Angelis, totaque  
beatorum corona, cœlestibus istis ferculis fruitu-  
rum, ex voluptatum istarum fontibus te hausturum;  
& tu deterreas ab hac mensa, ad quam Christus te  
precibus invitat, ad quam suo amore te allecat, ad  
quam tua indigentia te instimulat; ad quam rei præ-  
stantia te irritat? Quid obtrudis mihi indignitatem  
tuam? En tibi hanc mensam indignis præparatam,  
*Luc. 14. Matth. 22.* Non dicit edite, bibite, amici, dile-  
cti, quia digni estis, sed quia dilecti, estis Dei Patris;  
amici ipsius filii, vestri redemptoris. Digni estis his-  
ce meis epulis, non natura, sed mea gratia; non in-  
sita aliquia, propriæ, naturali vestra dignitate, sed  
immerita, inexhausta, supernaturali mea liberali-  
tate. Ausis à Christo diversa dona & bona desidera-  
re; cur illa non audes ab ipso, in S. suo convivio, ac-  
ceptare? Credis Christi corpus esse fractum, ne tu  
fœ-

fœdifrage frangaris, sanguinem ipsius esse effusum, ne tu æternis suppliciis afficiaris; cur edere, cur bibere, cur sigilla corporis, & sanguinis ipsius sumere recusas? cur non, ô homo, edere & bibere gestis? Qui te hic affatur, clamans: *edite, bibite, non conspicitur ab amicis & dilectis,* gladio ad puniendum; sed ad suos defendendum, instructus, *Joh. 6.1.* Non vultu suis horrido, mortemque minitante appetet, ut irâ incensus ille Assuerus Hamani apparebat, *Esth. 7.6.7.* sed vultu prodit spirante favorem, amorem; testante gratiam, vitam. Non alloquitur vos, ut Rex ille hospitem nuptiali ueste destitutum alloquebatur, verbis asperis, certissimis supplicii horrendi prænunciis, *Mattb. 22.12.13.* sed labiis melle, mero, Nectare stillantibus: amoris sui testibus: intonans, ingeminans semper illud: *Edite, comedite amici.* Est hic quædam adhuc indignitas? nuditas tua? En tibi præparatam justitiæ ipsius stolam. Est hic tua indignitas, paupertas? En tibi clementiæ ipsius gazam! Est quædam hinc tua indignitas, rebus in divinis ruditas? En tibi, in hoc convivio Spiritus sancti, Doctoris cælestis præsentiam! Quid ergo trepidas, miser homuncio? *Advola, advola, comedete & bibe:* dum tam suaviter vocis ipsius dulcedine vocaris, *Luc. 14.* tam leniter amoris ipsius fune traheris, *Cant. 1.4.* tam largiter torrentis ipsius voluptate perfunderis, *Psal. 36.9.*

3. Usus. *Admonitio.* Edamus jam, bibamus jam dilecti, ut dilectissimi Sponsi mandato obtemperemus. *Famelic & sitibundi,* ad hoc mel gratiæ, ad hanc myrrham latitiæ, properemus. Hæc etenim mensa famelicis est

est instructa; hæc potio siti pressis est porrecta, *Joh. 7.*  
 37. Hic, inquam, cibus sub peccatorum onere fatis-  
 centibus, *Matth. 11. 28.* cum D. Petro amarè flentibus,  
*Matt. 26. 75.* cum peccatrice lacrymis Christi pedes ri-  
 gantibus, *Luc. 7. 38.* est paratus: paratus justitiam siti-  
 entibus, esurientibus, *Matth. 5. 6.* Hic cibus, hic potus  
 ad vires animæ, peccatorum insultu continuo labe-  
 factas restaurandum, ad dissipatas revocandum, ad  
 infirmatas corroborandum, facit. Hoc cibo, hoc potu  
 anima mœsta recreatur; anima languida corrobora-  
 tur; anima ægra sanatur. Hoc cibo, hoc potu Christi  
 amicus, non ad vitam animalem, sed spiritualem; nō  
 ad fragilem, sed perennem nutritur, fulcitur. Hujus  
 cibi efficaciâ, hujus potus excellentiâ Christi *dilectus*,  
 contra diaboli impulsu*m* invictus redditur, & ad  
 ipsum cœlum evehitur. O cibum excellentem! ô po-  
 tum incomparabilem! Quid illæ mundi deliciæ? quid  
 illa Attica bellaria? quid illa vina Falerna? Ad breve  
 quidem tempus corpus oblectant, vires inediâ, vel  
 siti fractas reparant, sed mortem à vitæ arce, corde  
 non propulsant. Hic cibus, hic potus ejus sunt effica-  
 ciæ, ut mortis æternæ vim enervent, Satanam profli-  
 gent, cœlo Christi amicum bœt. *Edamus jam, bibamus*  
*Jam, videamus jam quam bonus, Ps 34. 9.* quam largus  
 ille est, qui nos dilectos, nos amicos suos ad suas epu-  
 las, suas delicias vocat, invitat. Huic jam dilectissimo  
 Sponso, ô fratres, cor nostrum aperiamus, *Apoc. 3. 3.* spi-  
 ritum fractum ei offeramus, *Psal. 51. 19.* Non enim à  
 nobis poscit pecuniam, *Esa. 55. 1. 2.* Sed sinceram obe-  
 dientiam, *I. Sam. 15. 22.* Non nostra merita, sed contrita

corda, *Psal. 51.19.* Humilitate nostrâ, altissimus, pauperate nostra, ditissimus, imbecillitate nostra, potenterissimus ille Sponsus, summopere delectatur, *Esa. 66.2.* Parata, parata, inquam, *Luc. 14. 17.* & non nostris liberi arbitrii viribus promerita sunt nobis hæc amoris pignora, hæc salutis fercula. Cur non *edamus, bibamus?* Servi Nahamanem, hunc in modum compellant, *2. Reg. 13.* Domine mi, si reni magnam iste Propheta edixisset tibi, an non facturus fuisses? quanto igitur magis quum edixit tibi, lavate & mundus esto? Quid si nobis grave quoddam onus Christus impo-  
 suisset; nonne æquo illud, in signum amoris erga ipsum, animo esset nobis sustinendum? Quid igitur relucentur tam suavi Christi imperio, veri amoris erga nos speculo? Cur non omnes intendimus, nervos, inquam, animæ, ad hisce fruendū Sponsi nostri ferculis? Quid si amarissima, durissima quæq; nobis imposuisset, nonne ipsius mandato parendum? Jam clamat, *edita,* & iterat illud, *bibite; edite mel, bibite lac,* fruimini benignitate mea. Regina illa Vasthi, Regis mandato immorigera, omni honore, favore, amore exuta est, *Esth. 1.* Quid nobis Christi Sponsi & Regis edicto reclamantibus eventurum esse arbitremur? certè eadem, imò & gravior, asperior nos maneat & affligat pœna! Dei enim favore, Christi amore, dilecti nomine spoliati, miseri, miserrime peribimus. Ligno, transgressores mandati Regis Persarum, interibant, *Hesræ 6.12.* aeternis mactabimus nos suppliciis, si mandato Christi eructantis illud suavissimum; *edita amici, gratissimum bibite dilecti, non dicto audien-*  
*tes*

tes sumus futuri! Columba à Noacho ex arca dimissa,  
cœli solique perlustrans spatia, nullibi locorum quietis justæ locum offendebat, ita ut ad arcam, si quiete uti, frui gestiret, remeare impelleretur, *Gen. 8.9.* In latissimo mundi hoc ambitu, nulla quietis sinceræ & perpetuæ nobis occurrunt domicilia; recipiamus nos ergo ad hunc nostrum sponsum exclamantem: *Edite, bibite,* & ita vera quiete gaudete. Nam ille est arca quietis, pacis, extra quam, nusquam in mundi hujus dapibus, utpote honore, amore, favore, conscientiae tranquillitas acquiri potest, *Luc. 15.* *Edamus ergo, bibamus,* ingemiscentes cum Davide, pietatis illius face: sicut ceryus glocitat aspirans ad alveos aquarium, sic anima mea glocitat aspirans ad te, *Psal. 42.2.* O Sponsor Jesu Christe, animæ meæ dulcedo unica & voluptas. *Edamus & bibamus:* Non enim offert nobis serpentes, sed pisces; non lapidem, sed panem, *Luc. u. ii.* Non fel, sed mel; non venenum, sed remedium; non siliquas, *Luc. 15.16.* sed cupedias. Non porrigit dilectis suis, suis amicis pallium suum, vestes suas, zonam, quemadmodum dilectus ille Jehonathan amico suo Davidi tradebar, *i. Sam. 28.3.* Sed spiritu suum illis donat, in consolationem, verbum suum in informationem; convivium suum, in refocillationem: Melle gratiae refocillat nos lassos; myrrâ sanat nos ægros; vino exhilarat nos mœstos; lacte corroborat nos languidos. Imò, corpus suum nobis largitur in animæ cibum, & sanguinem suum in ejusdem potum. Suo amore, venustate, liberalitate, domus suæ pinguedine, nos recreat; nos restaurat, *Psal. 45.3. & 36.9.* O amorem!

tem! ô liberalitatem! Si edemus, si bibemus, in nobis habitabit Christus, Joh. 14. noster Spōnsus. In nobis eriget sibi palatum gratiæ; in nobis sibi exstruet templum gloriæ; in nobis ostendet solium præsentiaæ. Nos, nos, fratres charissimi, futuri tunc sumus, pulcherrimum spirituale tabernaculum, Mosis tabernaculo adumbratum: Splendidissimum Spiritus S. templum, i. Cor. 6. Salomonis templo præfiguratum, in quo benignæ suæ præsentiaæ luculentissima sit signa demonstraturus. Quis jam non ederet? Quis jam non biberet? Quis jam talia tantaque dona & bona sibi non acquireret? Sed ad ultimum progrediamur & membrum.

## I V. P A R S.

*Quare illos invitat.*

*Inebriamini:* Non ut mundus immundus vino obrutus, non ut hæreticus falsæ opinioni mancipatus, Esa. 19. 19. Non ut Antichristus foedissimis erroribus immersus, Apoc. 17. 2. 6. Non ut populus aliquis dissidiis laceratus, Jer. 13. 13. dicitur inebriatus. Sed Spōnsus Christus clamitat hic: *inebriamini dilecti, inebriamini amici*, ita, ut cor vestrum in me exultet; lingua vestra, cum Davide, liberalitatem meam decantet, Ps. 23. 5. Amorem meum, cū Paulo deprædicet, Rom. 5. *Inebriamini*, ut erumpatis in laudem Dei Patris, qui vobis hanc mensam adornavit; in laudem Dei Filii sui, qui animam vestram saturavit, in laudem Spiritus S., qui vos sua consolatione refocillavit. *Inebriamini*, ô amici mei, dilecti mei; oblectate vos pinguedine meæ gratiæ, Esa 55. *Inebriamini*, prædicate delicias meæ mensæ.

mensæ. Inebriamini, in me credite, ut profluant ex ventre vestro flumina aquæ vivæ, Joh. 7. 38.

## D O C T R I N A.

Piorum est, in hospitis sui liberalitate, exultare.

RATIO. Inebriamini, dicit Sponsus Christus, suæ Sponsæ Ecclesiæ.

2. Ad gaudia procreanda, instituuntur convivia. Etiam Abschalomi convivium fratris internacioni destinatum, prima fronte lætitiam præ se ferebat, 2. Sam. 13. 28.

3. Hoc Christi epulum, idcirco jucundo alicui convivio gaudio delibuto, Luc. 15. 23. Festo alicui lætitia repleto, 1. Cor. 5. 7. 8. Nuptiis spirituali recreatione redundantibus optimè assimulatur, Matth. 22.

4. Omnia Christi in mensalætitiam meram redolent. Corpus enim & sanguis Christi hospitis benignissimi, tristitiae fontem claudunt, lætitiae aperiunt cordi mœrem, conscientiæ timorem eximunt, hæc enim mensa clamitat, Deum benignissimum convivarum esse Patrem, Christum, dilectissimum illorum esse hospitem; Spiritum S. suavissimum illorum esse consolatorem. Hoc Christi epulum ostentat, iram Dei in gratiam; mortem, in vitam; infernum in cœlum, illis esse transformatum.

5. Cur pii mensæ Christi fruentes gaudio non exilirent? Christus non in præsepe tantum, cum magis aspicitur, sed in corde illorum quóque includitur. Non in templo aliquo cum Maria invenitur, sed in animo sentitur. Non salutat illos tantum cum Zacheo blande, Luc. 19. 5. Sed illos suo quóque Spiritu beat gratiose.

6. Nonne in Christo, illiusq; gratiae convivio exultavit Abraham, *Joh. 8.* Exultavit David, *Psal. 23.* Exultavit Paulus, *1. Cor. 5. Phil. 4.*

1. Uſus. *Correctio.* Dic̄tum hoc sit quam plurimis, ad vitę correctionem. Multi etenim inebriantur non amore Christi, hujus Sponsi, sed mundi immundi. Inebriantur multi honore, cum Hamane, *Esth. 5.* afflentatione cum Herode, *Act. 12.* Inebriantur non nulli invidiā, cum Kajino, *Gen. 4.* Inebriantur mundi potentia, cum Nebucad-netzare, *Dan. 4. 30.* Quid illa omnia vana, vesana. Quid illa candidi & defæcati gaudii, animæ allatura sunt? Fluxa sunt illa, fluxum & illorum gaudium. Quos sol oriens in altissimum honoris videt erectos solium, occidens in infimum decoris cernit detrusos locum. Inebriantur, ut cum Ammone mactentur, *2. Sā. 13.* Inebriantur, ut cū mere trice Babylonica tandem funditus extirpentur, *Apoc. 19.* Illorum gaudia, dum mundanis hisce rebus inebriati sunt, sunt diaboli retia, cordis vulnera, inferni itinera. Nulla est illorum cordi tranquillitas, *Esa. 7. 20.* Movetur enim instar arboris silvæ, instar fluctus aquæ. Media inter lætitiae signa, cor illorum cum Bal satzare trepidat, *Dan. 5. 6.* Multi etiam, malunt corporaliter inebriari, in diversorio; ô dedecus! quā spiritu aliter inebriari Christi in templo: qui inebriari malunt poculo Bacchi quam poculo Christi. O dementiam! Pocula illa ebrietatis in diversorio, sunt pocula furoris, mortis. Et dum inebriari, diluvio sæpè iræ divinæ, ut primus mundus, obrueris. Inebriatus, gladio sæpè justitiae divinæ, ut Holophernes, interimeris. Et dum

dum ita mundi, diaboli bibis ex poculo, appropinquas inferno, te emancipas diabolo, corpūque tuum, cum animā, summo objectas periculo. Dum bibis & inebriaris, assidens non Christi, sed mensæ diaboli, mens tua obscuratur, cor tuum aggravatur, *Luc. 21.* totūque tuum corpus enervatur. *Inebriatus* ita, oculis tuis Dei opera aspectare, lingua Dei benignitatem celebrare, tēque ad veram erga Christum gratitudinem præparare nequis. O funestum tuum statum! Hæc ebrietas tibi est Christi oblivio; amoris divini extinctio; peccatorum origo.

2. Usus. *Admonitio.* Exultemus, & ita inebriemur cum Davide, *Pſ. 4.* In Deo, cum Paulo, *Phil. 4.* In Christo. *Ebrii*, cordis abstrusa detegunt, & in apricum producunt, ita, ut quæ paulò ante cordi tantum illorum erant commendata, omnium jam ori tradita & auri, esse conspicias. Hujus tum innotescit superbia, illius iracundia; hujus aperitur invidia, illius nequitia; ita, ut in vino, veluti animi speculo, mira, hactenus occulta, cernas. Nos spiritualiter *ebrii* denudemus tēta, aperiamus clausa, proferamus occulta illa animæ nostræ clinodia. Exferat se fides nostra, & de illa clamiter nostra lingua, *Rom. 10.* Illam demonstret nostra munificentia, *Gal. 5.6. Jac. 2.18.* Ex illa emanet Dei nostri gloria, *Matt. 5.16.* Inebriati spiritualiter, prodamus patientiam nostram, aperiamus spem nostram, exposamus charitatem nostram. In nostro animo ita inebriati, veluti Christiani hominis speculo Christianas, cardinales illas virtutes alii intueantur, spem nimirū, fidem & charitatem. Hujus conspiciatur tum à quo-

vis mortalium cotam Deo humilitas, illius erga proximum charitas, hujus cernatur tum invicta patientia, illius in ærumnis admiranda lætitia. *Inebriati* corporaliter præteritæ afflictæ fortunæ oblii, spe prosprioris fortunæ afflatus eriguntur, summâque propterea voluptate perfunduntur. Tenuissimæ fortunæ homo, Iro pauperior, sc Cræso ditiorem fore haud ambigit; imò opibus exutus, mirabiles sæpè opes jactat. Clade affectum victoriæ cujusdam spes tum lactat; vulnere aliquo fractum, recuperandæ sanitatis spes sustentat. Nos, nos Christi amici, spiritualiter apud mensam Domini & Sponsi nostri *inebriati* obliviscamur peccatorum veterum, & puritati, sanctitati, sinceritati, charitati, veris illis piæ animæ ornamentis, studeamus. Sufficiat nobis, elapso vitæ nostræ tempore, peccatis nos fuisse emancipatos, illisque educatos; quod in carne reliquum est temporis, voluntati Dei vivamus, *i. Pet. 4.2.3.* Illi nos totos in templum, in palatium gratiæ, in quo Spiritu suo S. regnet, consecremus. *Inebriati*, inquam, in convivio Sponsi nostri, oblivioni tradamus hæc soli angusta, & aspiremus ad cœli augusta; oblivione sepeliamus hujus horti spinas, & trutinemus Paradisi rosas. Sit è memoria nostra elapsa hujus viæ crux, & recreet nos futuræ patriæ lux, ubi nullæ atræ crucis nubes, sævæque tentationis tempestates convivii nostri, illiusque gaudii Solem & tranquillitatem interrupturæ aut obfuscaturæ sunt. Perpetuò, perpetuò enim lætitie nostræ ibi Sol splendeat, recordationumq; hujus ærumnosæ vietæ deleat. *Inebriati* corporaliter infracto, imperterritaque

tóque conspiciuntur animo : quidvis moliri, quidvis aggredi audent. Metus enim omnis est profligatus, animúsq; ad magna facinora est erectus. Non ventur districtorum gladiorum mucrones, non alvorum furores, non vulnerariorum clamores; sed intrepidō animo in adversarium irruunt, illiúsque gladio evaginato pectus suum exponunt. O audaciam ! Nos vino amoris Christi *inebriati*, omnia ardua, aspera, amara, in Christi liberalissimi hospitis, Sponsi & fratri gratiam nihili ducamus : non animi nostri metu rei alicujus mundanæ frangantur. Sed corporis pravas cupiditates infestante coérceamus, in servitutem redigamus, totumque corpus contundamus, i. Cor. 9. 27. Membra nostra arma justitiæ Deo sistamus, Rom. 6. 13. Mundum nostrum hostem acerrimum fidei clypeo vincamus, i. Joh. 5. 4. Precum gladio furori Satanæ occurramus, Eph. 6. Regum minas, tyrannorum excarnificationes diras parvi pendamus. Non absterreant nos à Christi amore hostium frementium clamores, cruces, rogi, equulei. Non arceat nos à Christo aspera sors, aut ignominiosa mors, Rom. 8. Sed intueamur in ignominia, gloriam ; in pugna, coronam ; in carcere, futuram libertatem ; in caligine, imminentem lucem ; In rogo, perponderemus Dei thronum ; in equuleo, æternum gaudium, & hoc saccharo amaram vitæ crucem condiamus, hoc balsamo dolorem illius leniamus, hoc vallo hostium insultus frangamus. *Inebriati* ex indisertis, diserti ; ex mœstis, læti existunt, cantant, tripudiant, omnibúsque modis animi gaudium demonstrant. Resonant cantu ædes, imò plateæ,

70 D E S A C R A C O E N A  
omniáque illorum membra níl nisi lætitiam clamítant. Nos ad mensam Christi *inebriati*, erumpamus in laudes, in cantiones, *Col. 3. 16.* in gaudia, in tripudia, omnia nostra membra lætitię interioris spirantia sint testimonia; lingua nostra magnifica Dei facta, cum Apostolorum linguis celebret, *Act. 2. 11.* lingua nostra cum Davide, Dei liberalitatem decantet, *Ps. 103. 1. 2. 3.* totumq; nostrum corpus in Deo exultet, *Ps. 4. 8. Phil. 4. 4.* Qui instruxit nobis per Christum lautum hoc convivium; qui reddidit delibutum, unguento Spiritus, unguento gaudii, caput nostrum; qui exhibuit nobis poculum exuberans, *Ps. 23. 5.* Qui remittit, condonat nobis omnes iniquitates nostras, qui medetur omnibus morbis nostris, *Ps. 103.* O laudabilem, & nunquam satis deprecandam spiritualem ebrietatem! Tu, tu enim nos mœstos recreas; nos timidos animas; nos languidos confortas; tu virtutum mater, gaudii fons, solatii materia es: tu spiritualis audacię nostrę origo, patientiæ radix, conscientiæ tranquillitas es: tu paupertatis nostrae profligatrix, afflictionis deletrix es; hymnorum nostrorum genetrix es. Quis jam fratres dulcissimi, non ita pinguedine domus Christi hospitis & Sponsi nostri munificentissimi *inebriatur*? qui nos tam blandis ad se allicit invitationibus; qui nos reficit spiritualibus istis dapibus; qui nos imbuuit voluptatum fontibus; qui nos perfundit æternis suis opibus. O amore! ô gratiam! ô abundantiam! Audivistis:

I. *Quis hic invitat.*

II. *Quos.*

III. *Ad*

III. *Ad quid.*IV. *Quare.*

## E P I L O G U S.

Charissimus ille Deo Apostolus Johannes Spiritus Sancti afflatus, in *Apoc. 19.* v. 9. in hęc prorumpit verba consolationem spirantia: *Beati qui ad cęnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Hoc effatum aureum, concionis hujus est fundamentum. Vos, vos vocati estis ad hanc nuptiarum Agni cęnam, ad hanc gratię mensam, ad hanc amoris divini abundantiam; ad hanc animę vestrę lętitiam, vocati à Prophetis, *Esa. 25.* vocati estis ab Apostolis, *2. Cor. 5. 10.* vocati à Deo ipso, *Esa. 65. 2.* vocati à Sponso vestro Christo, hęc verberante aures, alibi pulsante cor vestrum, *Apoc. 3. 20.* *Beati estis, si suavissimę Christi invitationi aures attentas præbueritis, & ederitis, biberitis, tanquam ipsius dilecti & amici.* Hic etenim vobis vinum exhilarans, myrrha sanans, mel recreans, lac sustentans, corpus nimirum Christi & sanguis, offeruntur. O beatos, si ad mensam gratię divinę in Euangelio adornatam advolaveritis! Hoc cibo & potu, hoc Christi amore & liberalitate anima vestra famelica saturabitur, sitibunda refocillabitur, luctuosa exhilarabitur, ut *inebriati pinguedine, & saturati domus Sponsi vestri ubertate, laudes ipsius sitis eructaturi,* mundum repudiaturi, ad superna anhelaturi, ubi in regno glorię & lęticię, cum omnibus beatis demanna cœlesti *edetis, de aqua vite in æternum bibetis.* Huic Deo Patri, qui nobis hunc filium suum in sponsum dedit; huic filio Dei nostro Sponso, qui nos suo

corpore & sanguine ad cœleste convivium nutrit; & Spiritui Sancto, qui nobis hanc charitatem cordibus nostris insculpsit, sit laus, honor, & gloria in æternum, Amen, Amen, Amen.

## C O N C I O III.

T I T U L U S.

Spiritualis Tuba; homines, ad Dei Domum, sacrūmque ejus Convium, excitans.

T E X T U S. Esaiæ, Cap. 2.

Vers. 3. Eāntque populi multi dicentes: venite, ut ascendamus in montem Jehovæ, in domum Dei Jahakobi, ut doceat nos de viis suis, & ambulemus in itineribus ejus.

## E X O R D I U M.

**U**T homo, scientiarum ad apicem aspirans, Gymnasia, sapientiae illa palatia salutat, aureæ informatoris sui institutioni auscultat, ad delineatas illius regulas, studiorum in curriculo, se conformat: eundem in modum, sapientiæ rerum cœlestium qui imbui gaudet, cursum suum, ad Dei templum, & in illo, ad sacram ejus epulum, intendit; nobilissimas illas, piæ animæ scholas, virtutum palæstras, appetit; devoto animo, doctrinam, ore è ministri, magistri sui, profluentem, haurit; vitæ suæ cursum, verbi divini ad normam, instituit. Nam illis locis, Deus, optimus ille hominum creator juxta ac informator, cœcos illuminat; indoctos rerum divinarum cognitione ornat variisque virtutibus condecorat. Hanc ob causam, nihil magis

magis omnibus olim sanctissimis viris fuit in animo,  
in voto, quam ut illis Divina benignitas copiam fa-  
ceret ædes sacras visitandi; ubi illorum dignitas &  
voluptas, scientia & gloria, Gymnasium & liberali-  
tatis divinæ erat theatrum; Hinc Davidis sancta illa  
vota: unum petii à Jehovæ, id ipsum requiro; ut  
concedeam in domo Jehovæ omnibus diebus vitæ  
meæ, ad videndum amœnitatem Jehovæ, & inqui-  
rendum in Templo ejus, *Psal. 27 v.4.* Hinc illius suspi-  
ria: Mitte lucem tuam & veritatem tuam; ipsæ de-  
ducant me, adducant me in montem sanctitatis tuæ,  
& in tabernacula tua, *Psal. 43.3.* Hinc illius desideria;  
hinc illius cantica: lætor de eo quod dicitur mihi,  
domum Jehovæ adeamus, *Psal. 122. v.2.* Hunc zelum  
adumbrat Propheta Mica, *cap. 4. v.1.* Hunc in hoc tex-  
tu demonstrat Propheta Jesaja. Populi enim arden-  
tem Domum Dei frequentandi zelum, spirituali suo  
penicillo depingit, illius colloquia sancta detegit,  
pietatis illius indicia aperit, rationem omnium opti-  
mè exprimit. Hunc textum huic tempori haud in-  
commode posse accommodari autumo. Nos etenim  
Domum Dei ingressi, S. cœnam salutare, arcana beni-  
gnitatis ipsius perponderare desideramus. Animos  
itaque, charissimi, erigamus, aures aperiamus, ad  
Doctoris illius cœlestis sancta, grata, salutaria præcepta  
percipiendum, quibus nos caligantes illuminamur,  
de mysteriis balbutientes informamur, ad contem-  
plationem magnæ illius cœnæ elevamur; ad quam  
cœnam, ad quem cœlestem montem, ad quam Do-  
mum, ad quod gaudium, hæc spiritualis rudimenta,  
salutis

salutis itinera nos, in hoc statu viae, ducunt. Recto jam cuncta ut tractentur à nobis ordine, duo pensicula-  
turi sumus.

## P A R T E S.

I. *Invitationem ad aliquid.*

II. *Illi rationem.*

## V O T U M.

Tu, ô benignissime Pater, paterna manu nos tuam ad *domum*, animæ *Gymnasium*, duxisti, aperi ministri tui labia, ad salutis *vias* populo tuo dextrè enarrandum; illustra auditorum mentem, ad illas observandum; inclina illorum animos ad illas calcandum; ad nominis tui clarissimi laudem, & populi tui dilectissimi salutem. *Amen, Amen, Deus Jacobi,*  
*Amen.*

## I. P A R S.

*Invitatio ad aliquid.*

Notetur hic;

I. *Qui invitent.*

II. *Quomodo invitent.*

III. *Ad quid invitent.*

I. *Qui invitent.*

*Populi multi.* Propheta Esaias, ob obstinatam *populi* malitiam, Templi combustionem, Urbis deletionem, populi abductionem, prædixerat, ne electi & dilecti Dei, in desperationis lacunam deturbarentur; Propheta verborum acerbitatem, solatii dulcedine edulcat, & ita temperat, ut moestos piorum, Israëlitarum animos erigat, spe restorationis nutrit, & ita in calamitosa & aspera hora munit. *Licit ma-*

cet magna Israëlitarum existat calamitas, magna urbis & illorum orbis vastitas, Templo exusto, & excisa urbe; Deus tamen exquisitissimam piorum afflitorum geret curam, devastata restauret, attenuata amplificet, contristata lœtificet; Hisce enim decumanis afflictionum fluctibus, navis Ecclesiæ haud pereat, sed lœta ex hisce omnibus emergat. Montis Tzijonis tum temporis deformati, formositatem; abjecti, nobilitatem; parvi, magnitudinem; obscuri, splendorem; infimi, altitudinem; ob altissimi, gloriostissimi, maximi, nobilissimi, formosissimi, Dei præsentiam, potentiam, munificentiam, fore admirabilem, incomparabilem, delectabilem, desiderabilem. Nam ex illo monte Tzijonis Euangelii splendor, veritatis almæ clangor, verbi vité odor prorumperent: Splendor, inquam, qui multos illuminaret; clangor, qui diversos recrearet; odor, qui quam plurimos invitaret, ad verę Ecclesiæ unionem, communionem, voluptatem. *Multi populi, multi principes, multi Reges, multæ, inquam, Gentes* huc illucque, in latissimo mundi ambitu, Euangelii splendorem sérnâ fronte sunt intuituræ, Doctrinam è Tzijone profluentem sunt delibaturæ; Veritatem cælestem è Tzijone protum pentem sunt amplexuræ. *Multi populi, Gentes diversæ, à verâ antea, Ecclesiâ alienæ, superstitionum tenebris involutæ, Religioni* è Tzijone satæ, nate, repudiato paganismo, maxima cum animi voluptate, se assident, ei se consecrent, ei cuncta immolent. ò venerandam, ò admirandam Regni Jesu Christi dignitatem, majestatem!

*Ecclesia Dei est amplissima.*

RATIO I. *Populi multi.*

2. Licet numerus piorum parvus sit, respectu impiorum; electorum, respectu reproborum; ovium, respectu hircorum: Attamen in se consideratus numerus dilectorum Dei est maximus, adæquans, quodammodo superans arenas maris, *Gen. 21. 22.* Guttulas oris, *Psal. 110.*

3. Illa Ecclesia cum mundi initio, suum aspergit initium, & illius ultimo termino terminetur illius congregatio, multiplicatio, *Matth. 28. 20.*

4. Illa per totum terrarum orbem diffunditur: illa unius regni ambitu non includitur; illa intergeneri parieti septo soluto, longè longèque extenditur, *Eph. 2. 14.*

5. Et gentibus Euangelii lux illuxit; tuba alme veritatis multorum auribus clanxit; semen illud verbi divini incorruptibile in quam plurimorum pectora cecidit; Spiritus S. infinitorum animos ad fidem aperuit, & unius diei curriculum haud parvam Iudeorum frequentiam conversam Petri concione vidit, *Actor. 2.*

6. Ecclesiæ amplitudo quoque elucet ex *Esa 9. 7.* ubi venit amplitudine principatus, & *Pf. 2. 8.* possessione gentium, & dominatione Christi à mari uno ad alterum, *Psal. 72. 8.* perpondera, *Rom. 10. 18.*

I. Usus. *Correctio.* Prodeant jam illi clamatores, columnatores, qui perpaucos ad nostram Ecclesiam, ad nostram S. Cœnam confluere, vociferantur. *Populi multis,*

*multi*, ô hostes veritatis, quæ inexhausta Dei est benignitas, ad Ecclesiæ gremium & sanctum hoc epulum volitant; *multi* in Polonia, *multi* in Ungaria, *multi* in Gallia, *multi* in Anglia, *multi* in Germania, *multi* in Helvetia, *multi* in confœder. Belgia. *Populi multi*, ipsi, inquam, & Reges, Principes sèpè hujus Cœnæ Domini amatores, hujus Ecclesiæ defensores, imò clypei. *Ps. 47. Nutritii, Esa. 49.* *Populi multi*, clementiâ diuinâ, in reformato Belgio, ad hanc Ecclesiam, ad hanc S. Cœnam, in civitatibus & pagis accurunt; *multi magni & parvi*; nobiles & ignobiles; magistratus & subditi; docti & indocti; præceptores & discipuli ad hanc Ecclesiam conglomerauit. *Multi populi ad hanc S. Cœnam*, ut ægri, ad myropolium; ut famelici ad convivium; ut sitibundi, ad potum, approparent. A page ergo deliria illorum, qui nostram reformatam Belgicam Ecclesiam parvam falso ore eructant.

2. Usus. *Admonit.* Devitemus, charissimi, peccata magna quæ exiguum *populi* hujus reddunt coronā; peccata, quæ *populi* hujus numerum imminuunt: peccata, quæ *populum* hunc dispergunt: peccata, quæ pro-pugnacula *populi* hujus evertunt: peccata, quæ *popu-lum* hunc deglutiunt, maximam in illo stragem edunt, rupturam dignunt. Peccatis igitur bellū moveamus, illa supprimamus, illa interimamus, illa ita imminuamus: Peccatis enim suppressis, *populus* Dei emergit; illis imminutis, *populus* Dei crescit; illis extinctis, *popu-lus* hic vivit. Supplicemus Deo Opt. Max. aliis *populis* faciem Euangelii ut accendat, filii sceptro subjiciat, ad *populi* electi communionem perveniat, fidem illorū pectorē

pectore producat. Submissō animo Deum quóque oremus, ut dispersos *multos* in Germania *populos* congregare, incarceratos liberare, contemptos honorare, in exilium abactos revocare benevolē, ad illorum salutem, vineæ restaurationem, nominisque sui laudem, dignetur. O si quis det ē Tzijone salutem Israëlis; reducente Jehova reducem turbam populi; exultabit Jahakob, lætabitur Israël! *psal. 14. 7.* Audiamus:

*II. Quomodo invitent.*

Observetur hic;

*I. Quid faciant.*

*II. Quid dicant.*

*I. Quid faciant.* Eāntque, turmatim ad montem Tzijonis, quatenus in unam cum illo Ecclesiam uno fidei consensu, uno salutis amplexu, coaluerint. *Eant,* imò confluant rivuli instar, ad doctrinam coelestem amplectendum. *Eant,* appetitu fontis gratiæ ardenterfimo: *eant* desiderio cœlestis gloriæ maximo: *eant* ut subditi Regis Christi, ut participes foederis sancti, ut domestici Dei ad decantandum laudes Jehovahæ, qui, à tenebris illos ad lucem; à miseriis ad salutem; à peccatis, ad sanctitatem; à captivitate, ad libertatem; à superstitione, ad veritatem; à morte ad beatitudinem, vocavit, Spiritu suo illuminavit, fide ornavit, spe armavit. O beatos hujus sancti populi pedes ad Dei Ecclesiam, veritatis columnam, salutis nunciam, ita properantes, ad Christo, clypeo & muro, voluptati & saluti; petræ & gloriæ; ardore & amore; corde & ore, in illâ, cunctis vitæ diebus inserviendum.

D O C T R I N A.

Pii bono

Pii bono exemplo aliis prælueant.

R A T I O I . Eant aliis in exemplum, ad eges sacras, ad cultum divinum.

2. Bona illa pietatis in curriculo, exempla sunt tanquam lucernæ, quas alii sequuntur; sunt veluti Miltiadis *trophæa*, quibus alii ad virtutem accenduntur; veluti *specula*, in quæ aliorum oculi conjiciuntur.

3. Bonis *exemplis*, veluti *manu*, multi ad Deum ducuntur; veluti *stimulo*, ad virtutis studium impelluntur; veluti *fune*, ad honesta trahuntur.

4. Desideratis *exempla*? En vobis Regem Ninive; illo sese humiliante, totus quoque populus, Jon. 3. Hiskia templum Dei, Esa. 73. visitante, nonne visitabat illud totus quoque populus? Regulo in Christum credente; nonne in eum credebat tota ipsius familia? Quid referam de clarissimis Judaici populi istis syderibus, acerrimis veritatis assertoribus, Davide, Josia, Josaphato, Asa, qui nobili suo exemplo quam plurimos ab idololatriæ fœde deviis retractos, in rectam religionis semitam traxerunt? Quid producam de duabus Theodosii filiis, qui laudabili suo exemplo multos idololatriæ barathro extricatos, ad Christianismum perduxerunt? Quid edisseram de Convallo Scotiæ Rege illustri, cuius illustria vestigia multi presserunt?

1. U S U S . C O R R E C T . O quam pauci eunt, ut hic populi ibant! Eunt quidem magistratus ante subditos saepe, non ut ductores, sed seductores; non ut pietatis specula, sed turpitudinis exempla: quid mirum, subditos etiam terere vitiorum devia, fieri peccatorum mancipia,

mancipia, diabolorum palatia. Vitia enim à capite defluunt ad membra. Rivuli à montibus descendunt ad valles; arbores altæ collabentes minores supprimunt. Faciei maculę toti corpori turpitudinem inurunt. *Eunt* nonnulli pastores, sed ut impostores; *Eunt* non ut Ecclesię luces, sed atrę nubes; non ut Phari, sed ut scopuli. Hinc auditorum illa enormia erumpunt vitia, pastorum enim premunt vestigia, suam vitam effingunt ad illorum facta. Auditores etenim oculos magis in pastorum vitam, quam doctrinam; conversionem, quam institutionem conjiciunt. Sole offuscato, omnes oberrant tenebris; columnis dirutis, totæ collabuntur ædes: Ita pastoribus, istis luminibus, obscuratis, auditores quoque tenebris involvuntur: pastoribus istis turpitudine, vitę eversis, tota Ecclesia ruinam minitatur. *Eunt* & parentes, omni malitiā, liberorum ante oculos: hinc illi depravati liberorum mores, petulca illorum lingua, propudiosa vita. *Eunt* sape præceptores, sed ut deceptores; hinc ineffrenis & enormis discipulorum emanat vita. Ipse Deus *ibit* gladio armatus, ad illos perendum, gubernatores, pastores præceptores, parentes populi sui. Ipse Deus *ibit* ut leo, *Hos. 13.7.* ad hosce discerpendum; ut ignis, *Deut. 4.24.* ad hosce consumendum; ut hostis, ad illos interimendum. Diaboli *ibunt* ad hosce, in æternum affligendum. *Eant* enim in infernum, qui *ire* noluerunt ad cœlum: *eant* ad Diabolum, qui *ire* noluerunt ad Deum: *eant* ad reproborum catervam, qui *ire* noluerunt ad electorum coronam: *eant* Diabolorum ad convivium, qui *ire*

qui *ire* noluerunt ad S. epulum! O calamitosos gref-  
sus, inferni gradus, peccati fructus!

2. Usus. *Admonitio.* *Eamus* nos, fratres dulcissimi, ut filii lucis, *Joh. 12. 36.* ad aliorum illuminatio-  
nem; *eamus* ut sacerdotes, *1. Pet. 2. 9.* ad aliorum utili-  
tatem; *eamus* ut Prophetę, *Act. 2. 17.* ad aliorum infor-  
mationem. Magistratus, populi Dei principes, se il-  
lius quóque duces & luces esse monstrant: *Eant* illi ad  
Deum colendum, ad preces effundendum, ad bona  
Ecclesiastica tuendum. *Eant* illi ad S. cœnam, ut po-  
puli Dei tutores, pupillorum patres, viduarum judi-  
ces: *Eant* ad ecclesiam, ut nutricii, *Esa. 49. 23.* Ecclesię,  
clypei Reipublicę, patroni justitiae; omnes tum sub-  
diti illorum vitam expriment, ad illam veluti nor-  
matam suam dirigent, ad illam veluti exemplar, suos  
mores effingent. Ut umbra imitatur corpus; ita  
subditorum caterva æmulatur mores magistratus.  
Ut equus ducitur fræno; ita populus regitur magi-  
stratus exemplo. Ut in solarium omnium oculi sun-  
dixi: ita in magistratum exemplum subditorum  
oculi intenti. *Eant* pastores, ut vitiorum osores, vir-  
tutum doctores, populi illuminatores, *1. Pet. 5. 3. Joh. 5.*  
*35.* *Eant* præceptores, ut tenerrimę juventutis infor-  
matores, malitię extirpatores, ingenii cultores. *Eant*  
patres, ut liberorum duces, ad Dei templum, *Luc. 2.*  
*41.* *Eant* ut illorum institutores, *Gen. 18. 16.* ad cœlum.  
O quantus subditorum, ad S. cœnam, confluxus, si hi  
populi duces; quantus auditorum, ad S. cœnam,  
concurfus, si pastores; quantus liberorum, ad S. cœ-  
nam, conventus esset futurus, si parentes, ad dulci-

simos ecclesiæ fontes, verbum & sacramentum, semper irent. O quam felices illi populi duces, pastores, parentes, præceptores essent! Angeli ibunt in terra ad illorum defensionem, *Psal. 91.* in mortis lucta, ad illorum consolationem; in resurrectionis hora, ad illorum glorificationem, ad illos ad cœlum evenient, ubi splendebunt, quasi splendore expansi, *Dan. 12.3.* ut stellæ; ubi hæc dulcissima vox domini ad illorum aures penetrabit: Ingredimini in gaudium Domini vestri, *Matt. 25.21.* Percipiamus jam:

## II. Quid dicant.

*Dicentes; venite.* O ardenter populi hujus N. T. populi vocati, populi regenerati, populi regno Christi associati, zelum! Non aliis tantum aliquid præcipiant, sed se simul illis comites adjungant. Pede præeant, ore alios pietatis ad exercitia accendant, & omni modo charitatem suam illeis aperiant. Pedes aliorum luminibus; acclamatione. Aliorum auribus, inserviant, que nobilissimæ & utilissimæ illæ animæ sunt portæ, per quas Spiritus S. cor ingreditur. Tantus Deum colendi, in Ecclesia sua ardor populis, gentibus ad Ecclesiæ gremium, tubâ Euangeli convocatis erit, ut corde inflammato, lingua inflammatâ, alios ad salutifera illa pietatis exercitia inflamment, dicentes voce altissimâ, *venite.* Nam illi ad Ecclesiam adduerti, alios adducere; illi illuminati, alios illuminare; illi de via vitæ instructi, alios de ea instruere, pro virili, emitantur: Ardeant enim zelo domus Domini, *Ps. 69.* Ideò omnem lapidem moveant, aliorum salutem ut promoveant, quos diligunt, quorum salutem appetunt.

tunt, quorum salute exiliunt, *Luc. 15.* Venite, nobis vos adjungite, nostra vestigia premite, nostra facta expimate. *Venite* alacri corde & pede, fide & charitate, ut eadem nobiscum Ecclesiā, lētitiā, Christo & cœlo fruamini, ut amini. Hoc in N. Test. est impletum: nam nonnulli vicini Samaritani, Arabes, Idumæi, Ægyptii, quibus nota erat Jerosolyma, ad doctrinam Christi confluxerunt; & insigni zelo rapti, alios secum rapuerunt.

## D O C T R I N A.

*Pii* *alios ad bona opera exsuscitent.*

R A T I O I. *Venite.*

2. *Consolamini* alii *alios istis sermonibus,* *i. Thes.*  
*4. 18.* *Ædificate singuli singulos,* *i. Thes. 5. 11.*

3. *Pii* *unum corpus sunt, quorum unus instigatione ad bonum, alterius salutem procuret:* Prophetæ, *quorum unus alterum doctrinā ad spiritualia instimulet:* *Sunt repleti charitate, ita ut unus alterius commodo, per instructionem invigilet,* *i. Cor. 13. 5.*

4. *Pii* *sunt tanquam vasā, quæ suum liquorem effundunt;* *aromata, quæ suum odorem emitunt;* *sydera, quæ suum splendorem spargunt,* *ad aliorum voluptatem.*

5. *Si si mamentum, per sydera; ær, per volucra;* *terra, per fruges; æqua per pisces, homines ad Dei celebrationem, ad veram gratitudinem, virtutisque a morem accendunt:* *nōnne fideles anima rationali à Deo condecorati, ad aliorum salutem formati, refornati, sese mutuo ad pietatis studium inflammat?*

6. *Si diabolus omnem lapidem movet, ad homi-*

nem ad mala trahendum, s<sup>æ</sup>pè ipsum tentando potentiâ, ut leo, *i. Pet. 5.* infestando astutiâ, ut serpens, *Gen. 3.* Modò ipsi obtrudendo blandas voluptates, exoptatas dignitates, gratas opes: modò ipsum constringendo duro paupertatis onere, calamitate, fame. Si mundus ille immundus nunquam non sudat in suis, ad facinora, ad effusionem sanguinis justi, *Prov. 1.11.14. Jer. 21.38.* alliciendis: Quantò magis mundus ille mundus, mundus ille electus omnem adhibeat operam, alias ad bona impellendum.

7. Exempla piorum hoc stabiliunt; Abraham suos liberos, Jacob suos servos, *Gen. 35.23.* David suos subditos, ad pietatem irritavit, *Psal. 34.12.*

I. Usus. Correct. Sed, ô scelus! ô dedecus! Quis enim ore & opere exprimit hoc *venite?* Quanta eheu! illorum caterva, quos non tangit proximi cura. Quibus perinde est, five alii *veniant* ad ædes sacras, ad consolationis istas scatebras, *Pf. 46.* ad S. Cœnæ pignora, voluptatis istas lagenas, *Cant. 2.* five non *veniant*. Qui cum impio Caino, fratris custodes esse detrectant, *Gen. 4.* qui cum avaro Nabale *i. Sam. 25.* Davidis reductores esse recusant, qui cum in humano Sacerdote proximi alicujus auxiliatores esse denegant, *Luc. 10.* *Venite*, clamant ad diversoria, nequitiæ haud raro latibula, luxuriæ seminaria, ebrietatis tentoria: *venite* ad sphæristeria, rixarum principia, calumniarum nutrimenta. *venite* ad Veneris templa, libidinis volutabra, inferni itinera. *venite*, vociferantur, genio indulgeamus, *Sap. 2.6.* vino nos obruamus, *Ez. 4.5.* *veni* tri sacra faciamus. *venite*, proximum circumveniamus;

mus, suppressamus, exhaustamus; flagitia! Nónne ueniat tandem peccatum instar Scorpionis, ad vos sauciandum? *Apoc. 6.5.* Instar canis ad vos dilaniandum, *Gen. 4.* instar leonis, *Esa. 38. 13.* ad vos devorandum? Ipse altissimus, justissimus Deus excitet tandem cœlum, solum, infernum; sydera, elementa, tormenta; bonos, malosque genios, ad vos æternis suppliciis macandum, intonans terribile illud, *venite cœli,* ad hosce impios eradicandum; *venite* Angeli, ad hosce cruciandum; *venite* diaboli, ad hosce tormentandum; *venite* omnes erumnæ, ad hosce excarnificandum. Discedite à me maledicti, *Matth 7.* qui flocci fecistis S. Cœnam benedictionis meæ fontem: aufugite obdurati ad crucem, qui *venire* noluistis ad gratiæ meæ, in S. Cœna, lucem: Amolimini vos hinc ad infernale patibulum, qui *venire* detrectastis ad spirituale animæ pabulum: avolate hinc ad tormenta, qui respuijstis S. Cœnæ meç oblectamenta; ad luctum, qui S. Cœnæ non desiderastis fructum; ad infernum, qui per S. Cœnam, ceu portam ingredi subterfugistis cœlum: *venite* ad horribile diabolorum palatium, miseriarum cumulum, plagarum oceanum. Qui aures jam habet ad audiendum hæc audiat, & ad Ecclesiam, ejusq; S. convivium tendat!

2. Usus. *Admonitio.* Imitemur populum Dei, illius exemplum nostrum sit documentum; illius vita, nostra sit schola. Ingeminemus illud *venite*, dum celebra S. Cœna est; dum oblectanda anima est; dum corroboranda nostra fiducia est. *Venite*, clamemus, ad Dei templum, ubi amoris divini exhibetur speculum:

*venite ad Euangelium, animæ ægræ pharmacum: venite ad S. Cœnam, cœli viam: venite ad S. hoc convivium, Christi Sponsi annulum, animæ piæ thesaurū, amoris Christi documentum. Venite ad pignora gratiæ, ad sigilla misericordiæ, Rom. 4. Venite ut faturemini, ineibriemini, Ps. 36. recreemini. Venite charissimi ad S. Cœnā, ut Christus noster sponsus, nos suam sponsam; Pastor ille, nos oves; Medicus iste, nos infirmos; Pater ille, nos liberos ditet, curet, ornet, cibet. Magistatus bono suo exemplo, & authoritatis terriculæ clamitent ad subditos: venite, agite cantemus in S. Cœna Jehovæ, clangamus rupi ibi salutis nostræ eamus ante faciem ejus cum gratiarum actione, Psal. 95.1.2. Pastores ebuccinent illud venite ad auditores, dicentes: venite filii ad hanc S. Cœnam, auscultate mihi, reverentiam Jehovæ docebo vos, Ps. 34.12. Parentes ad pietatem instimulent liberos, effundentes illud venite ad S. Cœnam, virtutum magistrum. Praeceptores elevent vocem, dicentes: venite discipuli ad Ecclesiam salutis scholam, virtutis palestram. Domini clamitent ad servos: venite ad Deum cœli terreq; Dominum, ad Deum, in S. Cœna, nostrum summum bonum, Ps. 73. ô térque quatérque felices nos, hoc si præstiterimus! Deus enim alloquetur terram, clams: redde dilectos electos meos. Venite Angeli, mei ministri, & meos ex sepulchris fœtidis, ad odoriferum; ex angustis, ad augustum; ex ingratis ad amænum cœlum, meum palatium, evehite. Venite ad cœnā mēam, mei liberi, dicet nobis Deus Pater, ut qui vermisbus fuisti esca, jam cœlesti fruamini manna. Venite*

*na. Venite filii & filiae ad lucem, qui sepulchri haec tenus tenebris involuti fuistis: venite ad gloriam, qui ignominia obruti fuistis: venite, novo titulo ut vos ornem, Apoc. 2.17. venite voluptatum fonte ut vos refocillem, Apoc. 7.17. venite, fructu arboris vitae ut vos exhilarem, Apoc. 22. O suavissimum alloquium, afflictorum solatiū! Nihil enim dulcius dulcissimo hoc venite, venite, venite. excogitari poterit. Sed quo labor? Percipiamus quoque:*

**III.** *Ad quid alios invitent. Ubi observa; ad quid alios invitent:*

I. *Respectu loci.*

II. *Respectu cultus divini.*

I. *Respectu loci. Ascendamus in montem Jehovæ. Ascendamus, ascendamus dicent gentes: ascendamus pede & mente: ascendamus impulsi Dei amore & nostrâ salute: ascendamus animo humili & docili. Ascendamus in montem, non honoris & voluptatis, divitiarum & deliciarum corporalium, fragilium, quia est mons dia-boli & mundi, carnis & mortis: sed in montem Jehovæ, in montem gratiæ, ut ascendamus tandem in montem gloriæ; in montem terrestris Hierosolymæ, ut ascē-damus in montem cœlestis Hierotolymæ. Ascendamus in montem Jehovæ, in montem Tzijonis, quo profluxit gratus Euangelii rivus; quo eluxit cœlestis doctrinæ radius; quo nos duxit S. Dei Spiritus. Ascendamus in montem Jehovæ, in Ecclesiam Dei, palæstram illam animæ, viam gloriæ, scholam sapientiæ, quæ Ecclesia, est nobilis mons Dei creatoris, gubernatoris, salvatoris; spiritualis mons sanctitatis; amabilis mons salutis: ubi*

Jehova mortales cognitiones coelestium imbuit: ubi  
populus, ad Deum colendum, confluuit: ubi tota veri  
Israëlis corona Jehovæ **sacra** facit. Ibi illa pignora  
divini foederis: ibi illa testimonia Dei amoris: ibi illa  
sacrificia grati pectoris: ibi illa mœstorum solatia,  
egenorum gazophylacia, ægrorum pharmaca admi-  
randa & exosculanda reperiuntur.

## D O C T R I N A.

*Status ecclesiæ, in terris, hic adumbratur.*

RATIO 1. Monti hic assimilatur.

2. *Montes præ terra eminent: ita & Ecclesia Dei*  
*elucet omnibus è populis. Quod Sol est inter stellas;*  
*gemma inter viles lapides; aurum inter metalla; hoc*  
*est ecclesia inter gentes reliquas, ob dona & bona, quæ*  
*mundus immundus non appetit, nec capit, nec sapit.*

3. *Montes apice ferè cœlum, radice terram tangunt:*  
*ita & ecclesia Dei partim est triumphans, partim mi-*  
*litans. Ecclesia enim continet exaltatos, glorificatos,*  
*beatos; qui cursus sui metam, pugnæ coronam, navi-*  
*gationis oram appulerunt, ut altissimi cœli incola;*  
*perennis regni subditi, beatæ domus domestici: Ec-*  
*clesia etiam continet afflictos, mœstos, ærumnosos,*  
*qui eminus aspiciunt coronam, tendunt ad metam,*  
*appetunt gloriam. Illi cum mundo, diabolo, carnis*  
*irritamento, cum tentationibus, persecutionibus, ca-*  
*lamitatibus colluctantur.*

4. *Montes ad ventorum juxta ac inimicorum in-*  
*sultum perstant immobiles; illorum enim ad verti-*  
*cem pertingere, ob altitudinem; illorum crassitudi-*  
*nem perfodere, ob magnitudinem nequeunt: Ita &*  
*Ecclesia,*

Ecclesia, hostium ad furiosum imperium, appetet inconcussa, elidit & eludit inimicorum astutiam, frenat & enervat illorum potentiam. Illa solo hærens in cœlo est radicata, Dei potenti manu suffulta, *Esa. 49.*  
 fidei clypeo munita, *s. Joh. 5.* spe firmissima armata, *Rom. 5.* amore divino, ceu igneo muro circumdata, *Eph. 6.* cœlestibus turmis custodita, *Pf. 34. 8.* omnibus elutatur adversitatibus, ita, ut dum videatur superata, vincat; marcida, floreat; supressa, surgat; dispersa, se uniat; imminuta, se augeat; enecta, vivat.

5. *Montes* vallibus, per demissas pluvias, fœcunditatem pariunt, finitimaque loca defendunt: Ita & ecclesia, locis istis, ubi hæret, ubi viget, benedictionem omnimodam creat: nam Deus illis pugnantibus, est victoria, *Psal. 44.* in bellorum æstu, umbra; in morte, vita, *Esa. 25. 4.*

6. *Montes* difficiles sunt ascensu, non sine labore & sudore illius ad apicem pervenitur: Ita ad Ecclesiæ summum qui pervenire tentat, illi & variæ molestiæ exantlandæ & devorandæ sunt, in mundo superando, diabolo profligando, carnis luxu frenando: ubique enim cinctus est inimicis, pressus ærumnis, immersus miseriis.

7. *Montes* magis procellis obnoxii, quam valles: ita & Ecclesia magis miseriis est exposita aliis mundi plagis; nam est veluti miseriarum scopus, calamitatum cumulus; eam enim infestat mundus, oppugnat diabolus, tentat carnis affectus.

1. *U s u s . C o r r e c t i o .* Hoc jam animos aurésque illorum feriat, qui se Ecclesia hujus esse membra, mon-

et hujus esse incolas jactant, cum terrenis affixi,  
 eum serpente; terrenis occupati, cum talpa; montis  
 hujus ad apicem ne semel aspirant, Ecclesiæ altitudi-  
 nem, cœlum tangentem, ne semel considerant. Qui  
 mundi gaudia, in hac ecclesia, sibi somniant, volu-  
 ptatum flumina expectant, perpetua halcyonia in-  
 illa sperant, ne quidem perponderantes Montem esse  
 ecclesiam; montem, inquam, aëris injurię, procella-  
 rum violentiæ, diabolorum machinæ subjectum.  
 Qui hanc ecclesiam, hunc montē crucis, hunc montem  
 lucis, viarum obasperitatē ascendere detrectant. Qui  
 hunc montem, per carnis mortificationem, Rom. 6. vitiorū  
 extirpationem, peccatorum deplorationem, Psal. 51.<sup>st</sup>  
 animi humiliationem ascendere subterfugiunt; cum  
 per hosce ceu gradus hunc montem, hinc ecclesiam,  
 (qua S. coena celebratur, qua spiritus sanctus dona-  
 tur, qua homo vera fide coronatur,) tantum ascendam-  
 us. Illi malunt montem mundi, quam Christi; mon-  
 tem Bacchi, quam Dei; montem Veneris, quam Salva-  
 toris; montem voluptatis, quam tribulationis; mon-  
 tem honoris cum Hamane, Esth. 3. quam dedecoris  
 cum Mose; montem deliciarum cum Epulone, Luc. 16.  
 quam montem lacrymarum cum Davide Psal. o. ascen-  
 dere. Illi vallibus potius pestiferę voluptatis, quam  
 saluberrimę afflictionis montibus commorantur. Illi  
 hujus montis, hujus Ecclesię non sunt genitini incole-  
 nec cœlestis illius montis, Psal. 16. convivii sunt futuri  
 convivæ, sed resurrectionis puncto dicent montibus,  
 cadite in nos, Luc. 23. 30. occultate nos à conspectu  
 ejus qui insidet throno, & ab ira Agni, Apoc. 6. 16. O  
 funestum horum statum!

et hujus esse incolas jactitant, cum terrenis affixi,  
 cum serpente; terrenis occupati, cum talpa; montis  
 hujus ad apicem ne semel aspirant, Ecclesiæ altitudi-  
 nem, cœlum tangentem, ne semel considerant. Qui  
 mundi gaudia, in hac ecclesia, sibi somniant, volu-  
 ptatum flumina expectant, perpetua halcyonia in-  
 illa sperant, ne quidem perponderantes Montem esse  
 ecclesiæ; montem, inquam, aëris injuriæ, procella-  
 rum violentiæ, diabolorum machinæ subjectum.  
 Qui hanc ecclesiam, hunc montem crucis, hunc montem  
 lucis, viarum obasperitatem ascendere detrectant. Qui  
 hunc montem, per carnis mortificationem, Rom. 6. viriorū  
 extirpationem, peccatorum deplorationem, Psal. 50.  
 animi humiliationem ascendere subterfugiunt; cum  
 per hosce ceu gradus hunc montem, hanc ecclesiam,  
 (qua S. coena celebratur, qua Spiritus sanctus dona-  
 tur, qua homo vera fide coronatur,) tantum ascendimus.  
 Illi malunt montem mundi, quam Christi; mon-  
 tem Bacchi, quam Dei; montem Veneris, quam Salva-  
 toris; montem voluptatis, quam tribulationis; mon-  
 tem honoris cum Hamane, Esth. 3. quam dedecoris  
 cum Mose; montem deliciarum cum Epulone, Luc. 16.  
 quam montem lacrymarum cum Davide Psal. o. ascen-  
 dere. Illi vallibus potius pestiferæ voluptatis, quam  
 saluberrimæ afflictionis montibus commorantur. Illi  
 hujus montis hujus Ecclesiæ non sunt genitini incole,  
 nec cœlestis illius montis, Psal. 16. convivii sunt futuri  
 convivæ, sed resurrectionis punto dicent montibus,  
 eadite in nos, Luc. 23. 30. occultate nos à conspectu  
 ejus qui infidet throno, & ab ira Agni, Apoc. 6. 16. O  
 funestum horum statum!

2. Usus. *Admonitio.* Ad montem, montem Jehovæ,  
 charissimi, spiremus, in illum Jehovæ montem ascen-  
 damus: nihil nos ab hoc monte, ab hac desiderata  
 ecclesia absterreat; nulla crucis dumeta, nulli calamiti-  
 tatis lentes, nullæ persecutionis viæ asperæ cum De-  
 tina, 2. Tim. 4. 10. Nullæ tentationes Diaboli, leonis il-  
 lius, 1. Pet. 5. 8. fortissimi; Serpentis illius astutissimi,  
*Gen. 3.* Tentatoris illius impudentissimi, Matth. 4.  
 per libidinem, ambitionem, ebrietatem, per super-  
 biam, iram, invidiam, nos à monte Jehovæ abstra-  
 hant. Non mundi hic, inquam, illius Delilæ blan-  
 ditia, illius meretricis technæ, illius aucupis escæ nos  
 in instituto, ad hunc Jehovæ montem, ad S. Cœnam,  
 illius fons, itinere, retardent, vel à proposito avo-  
 cent. Non vana illa ambitio, vesana illa libido, flu-  
 xa illa rerum caducarum possessio, nos ad montem  
 Jehovæ festinantes, remoren tur; sed omnes illas sa-  
 lebras, omnes carnis technas, omnes crucis vias,  
 Deo duce, perrumpamus, usquedum montem illius,  
 illiusque convivium attingamus. Si ambitiosus que-  
 vis tolerare est paratus, montem honoris ut ascendat:  
 quæ nos non subeamus, ut in illum Jehovæ montem,  
 ad S. cœnam ascendamus, ubi ille cœli terræque mo-  
 narcha vero honore nos ornat, nos suos convivas,  
 imò liberos vocat, æternamque dignitatem nobis ad-  
 umbrat. Si homo, pravis voluptatibus delinitus, du-  
 rissima quæque sustinet, Veneris montem ut ascendat:  
 quæ nos non toleremus adversa, ut Montem Jehovæ  
 ascendamus, ubi S. cœna pacis & tranquillitatis sca-  
 tebras; ubi lætitiae spiritualis fluenta, Psal. 36. ubi animæ  
 Ambrosia.

Ambrosia. Si avaritiæ stimulis exagitatus montem Plutonis, non sine summo annititur ascendere sudore: quid nos non moliamur, montem Jehovæ, ecclesie ut ascendamus, ubi fides, spes, charitas, maximi illi animæ thesauri reperiuntur. Hujus in montis ascensu si jam anhelabimus, in cœlesti monte, in Ecclesia triumphante nos recreabimus; ubi noster mons sole justitiae illustrabitur, nobili electorum corona condecorabitur, Heb. 11. 22. 23. ubi beata anima illius pinguedine saturabitur, O amœnissimum Jehovæ montem, solatii fontem!

Sed jam percipiamus ad quid invitentalios.

II. *Respectu cultus divini. In Domum Iacobij.* In templum, in tabernaculum, quâ terrestri domo, cœlestis; quâ fragili, æternus; quâ angustâ, omni-præsens; quâ vili, nobilissimus ille Dominus gratiæ habitat, ita, ut illâ Domo, suos veluti domesticos benignè regat, abundè alat, miraculose defendat. In illâ Domo, suos dilectos ignorantiae tenebris involutos illuminat; in illâ, mœstos oblectat; in illâ, ægros sanat. In illâ Domo gratiæ divinæ sol splendet; cultus divinus viget; focus Dei lucet. In illâ Domo, societas amœnissima, voluptas desideratissima, dignitas gloriosissima offenditur. In illâ Domo, tuba almæ illius veritatis auditur, scatebra perpetuæ recreationis cernitur, effacia Spiritus regenerationis animadvertisit. In illâ Domo, Deus ille Iacobij altissimus, ab infirmis; potentissimus, ab infirmis; gloriostissimus, ab indignis hominibus suis domesticis colitur, diligitur. Hic Deus Iacobij, est quoque noster Deus: Hic Patriarcha Iacob, est

*cob, est quoque noster pater, quatenus illius fidem, spem, charitatem imitandam nobis prafigimus, ipsius vestigia premimus, unum cum ipso redemptorem agnoscimus. O laudabile populi prepositum!*

## D O C T R I N A.

*Deus locis cultui suo destinatis gratiōse præsens est.*

1. R A T I O. *Domus Dei Iacobi vocatur talis locus.*

2. Nam Deus istis in locis, injustos iustificat; cœcos illuminat; superbos humiliat; mœstos exhilarat.

3. Ibi dura hominum pectora verbi malice emollit, refractaria flectit, frigida calefacit; humectat arida, facundat sterilis, informat rudia.

4. Ibi homines fide beat, spe corroborat; charitate nobilitat; patientiam armat; virtutibus ditat.

5. Ibi est præsens, & Spiritu suo, ceu clave, clavum hominis cor reserat, ut fides salvifica illud intret: ibi infrugiferum cordis agrum præparat, ut semen illud incorruptibile in illo fructificet: ibi cœcum hominis cerebrum illuminat, ut mysteria illaclaro fidei oculo aspectet.

6. Ibi homines regenitos primo verbi lacte nutrit, & deinde adultiores duriori mysteriorum cibo susfulcit: illis laetum convivium præparat, illis Spiritum suum donat.

7. Ibi electis præsto est suo amore & favore, donis & bonis, fide & pace, gaudio, suavissimoque alloquio.

8. Ibi gratiosæ suæ præsentia pignora, promissio-

num sigilla charitatis suæ specula, divina Sacra-

men-

ta,

9. Ibi

9. Ibi insidet Cherubinis, *Psal. 99.* Ibi est ipsius via,  
*Psal. 77. 14.* Ibi est ipsius gloria, *Psal. 96. 6.* Ibi spiritua-  
 lium voluptatum scatebra, *Psf. 63. 8.* Ibi rerum omnium  
 affluentia, ornata illa mensa, *Ez. 25.*

1. Usus. *Correct.* O ferrea jam secula! O ingen-  
 tem hominum malitiam! O quanta illorum cater-  
 va, qui *Domum Iacobis* parvi ducunt. Multi pluris  
 faciunt *Domum* vini, quam S. hujus convivii; *Domum*  
 nequitiae, quam *Sanctimoniae*; *Domum* libidinis,  
 quam spiritualis voluptatis. Illi magnificiunt *Do-*  
*mum*, quæ Diabolus illis lethiferam mensam adornat,  
 fercula illis repræsentat, quibus veluti gladiis perfo-  
 diuntur; veluti laqueis capiuntur, *Psal. 69. 23.* veluti  
 venenis extinguitur. *Domum Iacobis* nauci æstimant,  
 illam profanant, illam rebus mundanis destinant,  
 ad illius *Domus* cœnam advolare detrectant; cujus  
 fercula animæ pœ sunt fulcra, oblectamenta, medi-  
 camenta. *Domum* Dei vitium facientem non restau-  
 rant, nullâ cum reverentiâ illam intrant, nullas gra-  
 titudinis hostias Deo in illâ immolant. Nónne illos  
 impios *Domus* Dei *Jacobis* contemptores mina-  
 rum divinarum feriat fulmen? *Hagg. 1. 4. 5. 6.* *Domus*  
 vestræ erunt desolatæ. Quid illa, o miseri, Diaboli  
 palatia! quibus illius accumbitis mensæ, sunt? Nón-  
 ne erunt assimilanda *Domui* filiorum Jobi, quam vene-  
 ti violentia evertens, illos cbruit, *Job. 1. 19.* Nónne  
 illæ mundi *Domus*, ubi illis voluptatum pestiferarum  
 obtruduntur epulæ, ad equandæ palatio Pelischthœ-  
 rum, quod verus ille Samson Jefus Christus, fractis  
 illius columnis, diruet; adumbratum ut est, *Jud. 16. 39.*  
 Nónne

Nónne Veneris *domum*, comparandam mecum statuitis Sardanapali in libidinem projecti illius regis palatio, quod flamma absumpsi; vel palatio Regis Belschætzaris, quo, manu altissimi, cum horrore suum interitum ingruentem delineatum aspexit *Dan.*

5.6. O calamitosa mundi & abominanda *habitacula*, malitię gymnasia, in justitię seminaria, diabolorum palatia, quæ furor *Dei Iacobij* deleturus est! Ad haec jam *domos*, impii, quoniam ita vobis volupe est, ite & interite.

7. Usus. *Admonitio*. Hanc *domum Dei Iacobij*, chrysostomi fratres, magni reputemus, hanc desideremus, ob hanc, cum Davide, ad Deum suspiremus. Utinam consideremus omnibus diebus vitæ nostræ in domo *Jehovæ*, ad videndum amoenitatem *Jehovæ*, & inquirendum in templo ejus. Nam abscondit nos in rugorio suo tempore adversitatis; abdit nos in abdito ventorio suo, in rupem attollit nos, *Psal. 27.4.5.* Illa sunt amabilia tabernacula, atria *Jehovæ*, *Psal. 84.2.3.* in quibus fidelis columba invenit suum pabulum; & humilis anima, suum oblectamentum; egena, suum thesaurum. Illam sanctam *Domum Jehovæ* ingrediamur sanctitate ornati, quia hic *Deus Iacobij*, qui splendidam illam salutis mensam nobis adornavit, sanctus est, *Levit. 19.2.* Expurgemus verus fermentum, ut sumus nova massa, sicut sumus fermenti expertes. Ut festum agitemus non fermentatis panibus sinceritatis & veritatis, *1. Cor. 5.7.8.* *Domus Dei Iacobij* est nitidissima, quotquot igitur ejus sumus domestici, splendor fidei & bonorum operum, ad alios S. coenam petentes,

petentes, emittamus, ut ita glorificant nobiscum  
*Deum Iacobii* die visitationis, *i. Pet. 2.11 12.* cum reverentia hanc Dei *Domum* introeamus. Nam si maxima cum reverentia palatum Regis mundani salutamus; quanta majori cum reverentia *Domum Regis Regum* pedem inferamus! Honestè *Domum Altissimi* restaureremus; Nam si Monarchæ palatum nobis est pretiosum, ita ut nullum vitium faciat: quanto pretiosior sit nobis *Domus summi illius Monarchæ*. Fracto animo, coram Deo, in *Domo* ipsius, ad S. cœnā compareamus, quia est sublimis & elatus, *Esa. 57.19.* Qui insidet ambitui terræ, *40.22.* Hanc *Domum* cum voce cantus & laudationis, *Psal. 42.5.* intremus, & gratitudinis hostiā, pro hac nostra beatiudine, Deo *Iacobii* immolemus. Animis quóque nostris à fragili hæc *Domo*, & lamentabili convivio; ad cœleste palatum, & delectabile epulum elevatis, tales foveamus cogitationes: Si hæc Dei *Domus*, hæc illius cœna tanti in hisce terris gaudii est scatbra; quid non perenne & cœleste illud convivium & ædificium voluptatis patiturum, ubi *Deum Iacobii* de facie ad faciem asperguri, nos in ipso recreaturi, laudes illius decantaturi sumus?

3. Usus. *Consolatio.* Quàm dulcis hinc erumpit *consolatio!* Si ecclesia est *Domus Dei Iacobii*, *Domus Dei vivi*, *i. Tim. 3.15.* De illa nobis merito afferendum erit, quod *Iacob* olim de loco jucundæ suæ visionis astruxit: Hæc porta cœli est, *Gen. 28.17.* hæc *Domus* locus est Angelorum, locus Archangelorum, regia cœli, & cœlum ipsum. Hæc *Domus Dei Iacobii* ob praesens-

Præsentiam & gratiam suam in S. Cœna, penuarium  
 est, ô anima mea! esurientis; pharmacopolium  
 languentis, præsidium confligentis. Hæc *Domus* Ja-  
 cobi S. Cœnae, nobis assidentibus contrito spiritu, e-  
 rit instar nidi, quo laudes Dei excludemus; instar ar-  
 æ, qua nos columbae requiem animæ offendemus;  
 instar piscinæ Bethesdæ, *Joh. 5. 2. 3. 4.* quâ nos infirmi  
 sanitatem reperiemus. In hac *domo*, apud S. suam Cœ-  
 nam, habitat *Deus Jacobi*, ô mœste, ad te recreandum!  
 ô collapse, ad te elevandum! ô tentate, ad te propu-  
 gnandum! In hac *domo* Deus gratiose habitat, ita, ut  
 obliget te vulneratum; purget te immundum; diteret  
 te pauperrimum. O exoptatissimam *domum*! Si Rex  
 suam tuetur *domum*, nónne hic Deus, Regum coro-  
 nator & gubernator suam *domum* defendat, suos do-  
 mesticos protegat, hostium furores coérceat, vires  
 frangat, conatus illudat, Angelis circumsepiat, *Ps. 34.*  
 8. Ut hostium adversus machinas, inferni portas, in-  
 star montis Tzijonis, *Psal. 125. 1.* immobilis perstet: &  
 ille *Deus Jacobi* nos ab hâc cœna, ad magnam, ab hâc  
*domo*, ad æternam nos evehet; ubi bonum erit nos es-  
 se: ubi per vallem mortis non amplius transibimus,  
*Ps. 84. 7.* nec esuriemus amplius, nec sitiemus amplius,  
 nec in nos cadet Sol, néque ullus æstus: quoniam  
 Agnus, qui in medio throni est, pascet nos, & viæ  
 dux erit nobis ad vivos fontes aquarum: & abstersu-  
 nus est Deus omnem lacrymam ab oculis nostris, *Apoc.*  
 7. 16. 17. Ibi cum Davide cantabimus: Quam amabilia  
 sunt tabernacula tua ô Jehova exercituum. Beati qui  
 inhabitant *domum tuam*, qui adhuc laudant te sum-

mē: Nam melior est dies unus in atriis tuis, quām  
 mille alibi; eligo frequentare limen in domo Dei  
 mei, magis quām habitare in tentoriis improbitatis;  
 quia sol & scutum est Jehova Deus, gratiam & glori-  
 am dat Jehova. Psal 84. 2.5.11.12. Ibi uberrimē explebi-  
 mur pinguedine *domus* Jēhovæ; ibi neque lucidus, neq;  
 clamor, neque labor extabit amplius, quia præceden-  
 tia abierunt, Apoc.21.4. In extirpatione templi Salomo-  
 nis nullus malleus audiēbatur, quia lapides antea e-  
 rant præparati, 1. Reg.6.7. Sic in cœlesti *domo*, Dei tem-  
 plo nec poena, nec tribulatio sentietur: quia materia  
 hujus templi, hujus *domus*, seu lapides vivi & spiritua-  
 les jā antè in mundo, per crucem & afflictionē, sunt  
 expoliti. Quando desiderata illa dies illucescat, quod  
 hanc *domum* ingrediar, tuam magnam cœnam ut e-  
 dam, & ipsem et tua *domus* gratiæ, quam tu altissime  
 inhabites, mortalitate, claritate & beatitudine, sim-  
 futurus! Hæc sufficient de primo concionis membro; trutio-  
 nemus jam alterum.

## I I. P A R S.

Ratio *invitationis*. Notetur hīc:

I. *Quid Deus faciat.*

II. *Quid homines faciant.*

I. *Quid Deus faciat.* Ut doceat nos de viis suis Quid  
 quæritis, ô Gentes, in Domo Dei Iacobii? Non opes,  
 non honores, non voluptates quærimus; illa enim  
 fragilia sunt, & non cœli, sed inferni s̄apē existunt  
 itinera; non sunt semper amoris divini pecula; non  
 vera à Deo dilectorum indicia. Illa mundana, vana,  
 non animæ sunt vestes, sed s̄apē numero pestes; non  
 nutri-

### C O N C I O III.

99

nutrimenta, sed suffocamenta. Nos, nos Spiritu S. nobilitati, spiritualia; nos fide ditati, illius nutrimenta; nos spēdonati, illius stabilimenta unicè affec-tamus, desiderams, oramus. Nōs decrevimus Deum non externo tantūm ritu, sed in primis interno vene-rari: idcirco op̄ramus, rogamus, ut Deus, optimus ille reformator, & Doct̄or, doceat nos de viis suis, de p̄ceptis suis; de viis sanctitatis, pietatis; de viis æquita-tis, puritatis; de viis pacis, salutis. Ut doceat nos internè & exterñ; doceat nos per Spiritum & Euange-lium: Ut doceat nos, referando aures corporis & cor-dis: Ut doceat nos, instillando nobis ardorem & a-morem Deum colendi: Ut doceat nos, operando in nobis affectum & effectum, modum & motum Deū diligendi. Quid sanctius hoc sanctissimo, quid salu-brius hoc saluberrimo gentium voto inveniri, aut excogitari potest?

### D O C T R I N A.

*Hominum naturalis in rebus divinis ignorantia hic  
apparet!*

R A T I O 1. Ut doceat nos de viis suis, quas humana mens nec videre, nec intelligere per se poterat.

2. Naturalis hominis cognitio ignorantiae est spe-culum, errorum principium, tenebrarum testimoniū.

3. Ut tenebrae se ipsas fugare & illuminare ne-queunt, ita ipse homo, qui suopte ingenio mera ca-ligo est, Joh. i. 5. semetipsum illustrare nequit. Ut mor-tuus non vider, ita & spiritualiter mortuus, Eph. 2. 1. nihil in rebus spiritualibus videt.

4. Omne naturæ corruptæ lumen est instar Go-

morrhæorum, Gen. 19. qui Lothi januas; & Schim-  
schonis, qui palatii Pelischthæorum columnas inve-  
nire non poterat, Judic. 16.25. instar talpæ cœcutit; in-  
star noctuæ splendorem solis veritatis ferre nequit.

5. Non est qui intelligat, non est qui exquirat  
Deum, Rom. 3. 11. Lux in tenebris lucet, sed tenebræ  
eam non comprehendunt, Joh. 3. 5. omnes mentem  
tenebris obscuram habent, Eph. 4.18. Christus cru-  
cifixus Judæis est offendiculum, Græcis verò stultitia,  
1. Cor. 1.23. Animalis homo non est capax eorum quæ  
sunt Spiritus Dei, sunt enim ei stultitia, nec potest ea  
cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur, 1. Cor. 2.14.

6. Exempla desideratis? En vobis ea passim sacro  
illo codice obvia. Quām absonta Nahamani Syro  
Elisæi videbatur suatio de se lavando in Jordane,  
2. Reg. 5.10 12. Quām absurdæ Nicodemo apparebat ho-  
minis regeneratio! Joh. 3.4. Quām dura Capernitis  
erat illa Christi manducatio! Joh. 6.52. Quām recon-  
dita Eunicho isti erat Esaiae de Christo dissertatio!  
Esa. 53. Quid referam de Philosophorum Athenien-  
sium turba, quæ doctrinam Pauli de Christo spermo-  
logiam vocat? Quid producam de Festo, qui religio-  
nem Christianam, quæstionem de quodam Jesu de-  
functo nominat? Act. 25. 19. Quid recenseam de Ju-  
dæorum frequentia, quæ Apostolorum spiritualem  
eloquentiam ebrietatem nuncupat? Act. 2.13.

7. Quid absurdius cœcæ appet rationi, quām  
audire, vitam in morte; gloriam, in humilitate; læti-  
tiam, in passione; in maledictione, benedictionem;  
in crucelucē; in captivitate libertatē esse indagandū?

I. Usus,

1. **Usus. Refut.** Prodeant jam vani & vesani illi Pelagiani, horumq; affectæ & patroni, qui hominum cœlorum mysteria, omniāque quæ ad salutem scitu, creditu, speratu, factu sunt necessaria, sine Spiritus S. illuminatione, sola naturæ luce, posse capere, crepāt. Nónne vobis reclamitat Esaias, dicens nomine populi, ut *nos doceat de viis suis?* Nónne Deus Petrum docuit viam cognoscendi Christum? *Matt. 16.17.* Nónne Christus hominem docuit viam cognoscendi Patrem? *Matth. 11.27.* Nónne Spiritus S. hominem docuit viam noscendi veritatem? *Joh. 16.13.* Sine hoc cœlesti hodego qui homo veritatis divinæ semitam terat & tenet? Sine hoc doctore, qui abstrusa illa scripturarū mysteria capiat? Sine hujus Spiritus lumine, qui occulta illa salutis oracula introspiciat?

2. **Usus. Correctio.** Dictum hoc sit quām plurimis, qui aures plus erigunt ad vias, quas Papa, quām Christus divina sapientia; *ad vias*, quas mundus, quām illas, quas Deus; *ad vias*, quas caro, quām illas, quas Christus salutis cardo docet. Sunt nonnulli etiam, qui hasce Dei vias illubenter, irreverenter, inobedienter, infideliter, inconstanter audiunt, & idcirco nihil aut parum commodi, ex illa salutari viarum cœlestium doctrina, hauriunt. Quî tu cæce viam vitæ agnoscēs? Quî tu peccator, viam conversionis offendes? Quî tu miserrime, viam salutis reperies? si Deus ille benignissimus, te per os ministrorum suorum, illas vias non docuerit, qui ministri tibi mundi salvatorem graphice ante oculos depingunt, *Gal. 3.* qui tibi modum cōversionis aperiunt; qui per fidem, ex gratia hominem

salvari ostendunt, Rom. 3. Qui tu, ô anima famelica,  
poteris saturari; sitibunda refocillari; languida cor-  
roborari; vulnerata sanari, si S. Cœnam in Domo Je-  
hovæ non frequentes, ubi te Deus *de viis suis docet?* de  
*viis*, inquam, per quas, à mœrore, ad hilaritatem; à  
dolore, ad voluptatem; à languore ad fortitudinem;  
à morte ad vitam perennem, pertingas. Ubi Deus  
*te docet* de via fidei; per quam ad Christum in S. Cœ-  
na tendas, qui tibi ægro medicina; tibi mæsto lati-  
tia; tibi in peccatis mortuo vita erit. Quid ergo ter-  
giversaris, anima afflcta, per hanc te à Deo *doctam*  
*viam*, ad Christum in S. Cœna properare? Quam diu  
Deus te doceat de S. Cœna, *via* ista salutis? Hodie si  
vocem ejus audieritis, ne obturetis aures vestras, Ps.  
58. 5. ne obturetis animum vestrum, Ps. 95. 7. 8. Vox e-  
nim quæ in S. Cœna auditur, illius est, ô homo, qui  
*te docet* non *viam* maledictionis, sed benedictionis;  
non mortis, sed vita perennis; non inferni, sed cœli.  
O felix, felix, felix anima, hasce *vias* dum ingrederis,  
S. Cœna dum frueris.

3. Usus. *Admonit.* Deo nos *docenti de viis suis* aures  
præbeamus patulas. Si Noachus Deo auscultavit *vi-*  
*am docenti* vitae hujus caducæ, Gen. 6. quantò magis  
nos Deo aures commodemus *docenti* nos *viam* vita  
æternæ. Si Lotus aures mutavit, angelis ipsi *viam* è  
Sodoma ad vita temporalis conservationem mon-  
strantibus, Gen. 19. nōnne nos Deo attendamus, nobis  
ex hac Sodoma hujus mundi, *viam* ad vita cœlestis  
acquisitionem *docenti*? Si Abrahamus morigerus fuit  
Deo ipsi *viam* obedientię per filii sui immolationem  
indigitans.

indigitanti, *Gen. 22.* nonne nos Deo dicto audientes simus, nobis *viam* victoriae, per carnis nostrae frenationem, *docenti?* Desideras percipere, anima devota, qui Deum tuum debito prosequaris honore, amplectaris amore? En tibi præceptorum *viam*, quam te docet. Affectas cognoscere anima pia, qui ut palmes, Christo viti, *Job. 25.* ut membrum, Christo capiti, ut sponsa, Christo sposo uniaris? En tibi *viam* fidei, quam te docet; Appetis intelligere, anima sancta, qui ab ignominia ad gloriam; à pugna, ad coronam; ab ira, ad gratiam; à mortis lucta, ad vitam emergas? En tibi Christum, exoptatam diu multumque desideratam, *viam* à Deo monstratam, in S. Cœna oblatam, fideli datam, *Esa. 9.* Nam Christus dulcissima anima, flammas iræ divinæ extinxit, Christus te Deo reconciliavit, *Rom. 5.* Christus meritorum clave cœli portas tibi aperuit. Ille, ut verus Moses, te per mortis rubrum mare dicit: Ille, ut verus Joshua, te per crucis Jordanem in voluptatis Canaan introducit. Ille, ut fons omnigenæ benedictionis *Eph. 1.* te reficit. Per hanc *viam*, dilecta anima, ad Dei gratiam, cœli gloriam, gaudii scatebram, pertingas: Per hanc *viam*, ad metam, coronam, vitam assurgas. Fame spirituali urgeris, siti torqueris, anima afflita? En tibi *viam* salutis refectionis, quam fidelissimus Deus te docuit; en tibi corpus Christi, tuum nutrimentum, oblectamentum, medicamentum; En tibi sanguinem filii Dei animæ tuæ refectionem. Ille in S. cœna te docet de *vitis* suis, qui legitimus nimirum S. cœnæ usus, est *via*, per quam ad frigidæ charitatis inflammationem; ad languidæ

fidei corroborationem; ad exiguae spei augmentatio-  
nem pervenias. Ille docet te, in domo sua, sua in Aca-  
demia, quod S. cœna, amoris sui est nota, cœli scilicet  
gratiæ schola, coronæ via. Deus, te, ô tentata animal!  
docet viam precum, per quam cœlum introire, cum  
dulcissimo tuo patre sermones miscere, coram eo a-  
nimum effundere, Psal. 26.9. ei secreta pectoris aperi-  
re, ab eo auxilium, in necessitate; solatium, in ango-  
re; clypeum, in temptatione; thesaurum, in egestate ac  
quirere poteris. O saluberrimas vias! ô gaudii perpe-  
tui semitas! O beatam Jehovæ, domum, ubi Deus ille  
illuminator cœcum illuminat: ubi ille Doctor stupi-  
dum informat: ubi ille Ductor oberrantem in viam  
revocat. O admirandam Dei benignitatem! vias tuas!  
Jehova, notas fac mihi, semitas tuas (in S. Cœna) do-  
ce me, Ps. 25.4. A&t. 9.18. Squamas ignorantiae & erro-  
ris oculos mentis meæ exue, ut vias tuas agnoscam.  
Retege oculos meos, ut vias tuas animadvertis, Ps. 1.  
18.19. Qui Israëlem viam docuisti ad terrestre Canaan;  
doce me viam ad cœlestē. Qui duxisti Israëlitas per  
nubis columnam, Exod. 13.12. Duc me per S. codicis  
Iucernam, Ps. 19. & 25.8. Quibus suspiriis Jehova bonus  
& rectus annuat, clamans: Ego Jehova Deus tuus do-  
cebo te proficere, deducam te via qua ambules, Esa. 48.  
17. Erudiam te (in S. Cœna) & docebo te qua via  
ambulaturus sis, Psal. 32.8. O suavissimum Dei nostri  
alloquium! Sed percipiamus jam:

I I. Quid homines faciant. Et ambulemus in itineri-  
bus ejus.

Quid utilitatis illarum viarum, istorum præcepto-  
rum

rum divinorum scientia, absque efficientia, produceret? Non enim tantum itinera scienda, sed & premenda: Non hic sufficit nuda viarum doctrina, sed & requiritur obedientia, quæ illarum est scopus & fructus. Nam hæc doctrina non theoretica tantum est, sed & practica. *Doce ergo nos, ô Deus Iacobi, de viis tuis,* ut in *illis ambulemus,* facientes tibi placentia, omittentes tibi dilplicentia. Ut in *illis ambulemus,* vitam ad verbi tui normam diligentes, ad præcepti tui regulam instituentes, ne ab *itineribus tuis aberrantes* in præcipitia ruamus. Hæc pernecessaria: nam doctrina Dei vitæ hominum cui sum dirigit, & illos ad ejus obsequium erigit. Non enim tantum viæ salutis audiendæ, sed & terendæ: ut appareat, *Matth. 7. Luc. 12.*

## D O C T R I N A.

*Homines vitam suam Dei ad voluntatem instituant.*

R A T I O. I. *Et ambulemus in itineribus ejus.*

2. Quisquis audit ex me sermones istos, & eos præstat, assimilabo eum viro prudenti, *Matth. 7. 24. Jac. 1. 22.* Effectores estote sermonis. Oves meæ, clamat Christus, sequuntur me, *Joh. 10. 4.* Vos amici mei eritis, si feceritis quæcumque ego præcipio vobis, *Joh. 15. 14.* Si quis diligit me, sermonem meum observabit, *Joh. 14. 23.*

3. Corporis vita, ex motu; arboris præstantia ex fructu cognoscitur: ita & Christiani hominis sanctimonia ex effectu conspicitur.

4. Deus homines vias suas docuit, non ut cognoscerent, sed ut in *illis ambularent;* vult enim Deus, ut

ad voluntatis suæ normam vita humana instituatur.

5. Ad voluntatem divinam, sancti illi Patriarchæ & Prophetæ; sancti illi Reges & Sacerdotes; sancti illi Apostoli & Christiani, pro mensura Spiriūs, vitam suam efforma, mores suos effingere elaborarunt, sudarunt.

6. Quid æquitati magis conformare, quam ut creatura ad creatoris; servus, ad Domini; subditus ad Regis; filius ad patris mandatum se conformet.

1. Usus. *Refutatio.* Longissimè jam à veritatis via aberrant illi, qui Deum quidem vias vitæ, vias gloriæ, benedictionis vias, salutis vias, in verbo & S. convivio, docere astraunt, sed penes hominem esse in illis ambulare, ut sic vires liberi arbitrii extollant, hominis dignitatem evehant, Dei gratiam supprimant. Deus enim, mi homo, non tantum salutis vias docet, sed & efficit, ut in illis mortales ambulent. Ab illo non tantum viarum est cognitio, sed & ingressio. Quemadmodum Ezechielem elevavit, ut ingredieretur domum suam, *Ezech. 3.9.* ita te erigat incessè est, ut ingrediariis vias suas. Ut Christus, Bartimæo non tantum oculos aperuit, ut vias videret, sed & fecit ut in illis ambularet post Christum. *Marc. 10.* ita & illuminat non tantum hominem, ut vias doetas cognoscat, sed ipsum velle in illis ambulare & procreat. Ille hominem in salutis viam trahit, *Joh. 6. v. 44.* Ille genua labantia suffulcit, *Esa. 35.3.* Ille non tantum velle in itineribus Dei, sed & ipsum ambulare in viis Dei producit, *Philip. 2.13.* Ille dat nobis cor novum, ut in itineribus, statutis suis ambulemus, & iuris ipsius

ipius obseruemus, Ezech. 36. 26. En tibi jam præluc-  
centem, & concomitantem Dei gratiam, cuius au-  
spicio salutis *itinera* & cernis & premis. Ne osculeris  
ergo hinc manus aut pedes: ne suffitum facias reti-  
culo tuo, Hab. 1. 16. tuo libero arbitrio, tuo idolo, sed  
divinæ misericordiæ abyssō, cuius ductu tu in *itineri-*  
*bus*, ad sacrum hoc epulum, *ambulas*, cantilla illud po-  
puli dilecti: Non nobis, Jehova, non nobis, sed no-  
mini tuo da honorem, propter benignitatem tuam,  
Propter fidem tuam, Psal. 115. 1.

2. U. s. u. s. *Correctio*. Multi sunt, qui norunt ver-  
bum Dei prædicatum *viam* esse ad fidem, Rom. 10. S.  
hoc convivium *viam* esse ad salutem, & tamen in il-  
lis *itineribus ambulare* abnuunt. Illos haud fugit, ante  
& post S. coenæ usum in *itineribus* unanimitatis, cha-  
ritatis, pacis; in *itineribus* sanctitatis, castitatis, grati-  
tudinis esse *ambulandum*, & tamen in illis *ambulare*  
effugiant. Quibus magna est de *itineribus* Dei scien-  
tia; sed illa pietate nulla conscientia. Habent for-  
mam pietatis, sed vim ejus abnegant, 2. Tim. 3. 5.  
Deum profitentur se scire, sed factis negant, quoniam  
sunt abominandi & contumaces, & ad omne opus  
bonum rejectanei, Tit. 1. 16. Disertè & magnificè *iti-*  
*nera* Dei prædicant, sed illa non calcant: illa sermo-  
nibus evehunt, sed pedibus illa non premunt. Vox,  
vox hæcum est Jacobi, at manus, at pedes hic Hesa-  
vi, Gen. 27. Delectantur cum Hesavo edulio (mundi)  
rufo, Gen. 25. 30. & nausea verbi divini, fastidiūque  
sacri hujus convivii illos cepit. Relictis Dei *itineri-*  
*bus* saluiferis mundi, diaboli, carnis pestiferis *ambu-*  
*lant* it

lant *itineribus*, in *itineribus* peccatorum; ita ut in hunc Sibariticum effusi; Baccho emancipati; Veneri consecrati sint; nam in cœno impudicitię & nequitę, ebrietatis & scortationis se, suum instar & canum, voluntant. *Itineribus* divitiarum cum avaro; *itineribus* honoris, cum Philodoxo; *itineribus* voluptatis, cum libidinoso ambulant. O funesta *itinera*! Infelix enim est eorum ingressus, infelior progressus, infelicissimus egressus; in infernum nimirum lapsus est. *Itinerum* horum frons blanda & amœna tibi pollicetur, sed illorum cauda, sive finis amaritudinem & dolorem præstat. Illa *itinera*, à lætitia, ad tristitiam; à gloria, ad ignominiam; à rerum abundantia, ad penuriam te cum filio prodigo, & epulone, *Luc. 15.* *Luc. 16.* ducunt; te à Deo summo bono abducunt; te à duce, ad tenebras, trahunt; te, in omnium miseriarum lernam, abripiunt. Quid hisce *itineribus* cogitari potest infelicius? & illi taxandi, qui in *itineribus* Dei ambulantes se mundanarum rerum sarcinis onerant, *Luc. 21.34.* qui non illis progrediuntur, sed cum Loti uxore, ad mundi Sodomam, *Gen. 19.26.* retrospicunt: cum Israëlitis, *itinera* ad mundi Ægyptum appetunt, *Num. 11.5.* cum Dema, *itinera* voluptatum sitiunt, *2. Tim. 4.10.* Quid & hisce viis, hisce *itinere* functius?

3. Usus. *Admonitio.* In *itineribus*, ô charissimi, Iesu Christi jam ambulemus; in *itineribus* pietatis, cum Enoch, *Gen. 5.24.* in *itineribus* justitie, cum Lothro, *2. Pet. 2.7.* in *itineribus* obedientię cum Abrahamo, *Gen. 22.* in *itineribus* castitatis, cum Josepho, *Gen. 39.* in *itineribus*

viobus zeli pro gloria Dei, cum Mose, Gen 32.19. in itineribus amoris Dei, cum Davide, Psal. 18. Ambulemus in itineribus novę vitę, Rom. 6.4. in itineribus charitatis, Ephes. 5.2. In hisce, fratres dilectissimi, itineribus ambulemus, à luce ad lucem, à fide ad fidem, de virtute ad virtutem, Psal. 84.8. De justitia ad justitiam, de sanctitate ad sanctitatem, apoc. 22.11. Illis in itineribus ambulemus, ita ut ne dextrorum vel sinistrorum rece-  
 dendo aberremus, Deut. 5.38. nec ad mundi itinera re-  
 migremus. Et quoniam in hisce itineribus facile im-  
 pingimus, verbum Dei sit nostra virga, nostrum pe-  
 dum, Psal. 23.4. Quoniam hallucinari possumus, ver-  
 bum Dei sit lucerna pedum, Psal. 119.105. Quoniam vi-  
 res nostrę facilimè franguntur, verbum Dei, ipsiusq;  
 S. convivium sit nostra refocillatio, Psal. 119. & in-  
 primis illud Sponsæ adumbremus: Trahe nos post  
 te, curremus, Cant. 14. duc nos in illa itinera, tum in  
 illis ambulabimus: corrobora gressus nostros, ne titu-  
 bemus: largire nobis pedes cervinos, & in illis cur-  
 sitabimus; tu Domine Deus noster, jube, quod ve-  
 lis, & da quod jubes, & non frustra jubebis. Nam à  
 Deo non tantum horum saluberrimorum itinerum  
 cognitio, sed etiam ingressus, progressus & conti-  
 nuatio. O beatos nos si talia ederemus suspiria! Deus  
 suavissimo nobis occurreret hoc suo alloquio; Dedu-  
 cam vos cœcos per viam, quam non noveratis, se-  
 mitis, quas ignorabatis, agam vos: disponam tene-  
 bras coram vobis in lucem, & obliqua in planiciem,  
 Isa. 42.16. O dulcissimum divinum effatum & affa-  
 tum! & licet in hisce itineribus ejus ad S. cœnam am-  
 bulemus

110 DE SACRA COENA

bulemus onerati, tamen ille nos refecturus est, *Matt. ii.*  
Licet claudicantes hisce *itineribus* Dei, ad S. ipsius  
cœnam, festinemus, tamen illâ nos dignabitur, *2. Sam.*  
9. 7. claudos enim ad spiritualem opiparam suam  
mensam vocando curavit, *Luc. 14. 21.* O felix anima  
mea, in hisce Dei *itineribus* si es *ambulatura!* Illa enim  
*stinera* nos ducunt ad lautum illud convivium, ubi de-  
liciarum torrens, *Psal. 36. 9.* ubi illæ aquæ lenes, herbi-  
di caules, mensa illa refocillationis scatebra, *Psal. 23.*  
2. 5. Ubi illa umbra grata, fructus dulcis: Ubi ille  
Sponsus noster fulcit nos lagenis istis, sustentat nos  
istis malis. Sinistra ejus est subter caput nostrum,  
& dextra ejus amplectitur nos clamans: surge amica  
mea, pulcra mea & veni, *Cant. 2. 3. v. 5.* comedere, bibe  
& inebriare, *Cant. 5.* Quid desideres jam insuper ani-  
ma mea? Haec jam etiam sufficient de ultimo con-  
cionis membro. *Audivisti:* I. *Invitationem ad a-*  
*liquid.* II. *Illius rationem.*

E P I L O G U S.

Quo omnia concludamus? Eliâ Prophetâ, *itineru-*  
*sui curriculo, defatigato, Aduolabat Angelus, & ipsum ex-*  
*perges faciebat, dicens, surge, comedere: nam majus esset hoc*  
*iter, quam ut conficeres. Surgens ergo comedit & bibit,*  
*& progressus est usque ad montem Chorebum, 1. Reg. 19. 8.*  
*ita nos, charissimi fratres, mutuo excitemus nos viis*  
*Dei sape languidos, intonantes illud Angeli: Surga-*  
*mus & pergamus, quia viæ & vitæ terminum nondum*  
*atrigimus; ingemintantes illud populi; Venite, venite*  
*ascendamus ad montem Jehovæ, ad montem solatii, ad*  
*montem gaudii, ad pacis montem, ad salutis montem,*  
*ubi Dei*

ubi Dei Jaacobi, *ædificium*, palatium, *Gymnasium* est;  
 ubi nobis cœcis oculos aperiat; nos ignaros vias suas  
*doceat*; nos illiteratos erudiat; nos erroribus imbuto  
 in rectas veritatis vias ducat, nōsque in illis *ambulan-*  
*tes* suffulciat, & in S. cœna nos defatigatos reficiat.  
 O felicissimos nos tales convivas! Deus enim Jaacobi  
 nos *doceat*, nos ducat, nos demulciat, ut cum  
 gaudio *itineris* nostri curriculum emetiamur, non at-  
 tingentes tantum montem Soli, sed cum Elia quoque  
 montem Poli, ubi *Domus* ubi templum illud Dei splen-  
 didum; ubi *multi populi*; ubi electa & dilecta ab ēterno  
 filiorum Dei corona, ad convivium illud cœlestē,  
 voluptate omnigenā disfluens, cum Patriarchis i-  
 stis, Abrahamo, Isaaco, Jaacobo, *Matth. 8. vers. 11.* ad  
 edendum de manna occulto, & bibendum de tor-  
 rente deliciarum: ubi nos invicem ad ambulan-  
 dum non sumus exuscitaturi; ubi in cognitione  
 viarum Dei non profecturi. Nam valedicto viæ sta-  
 tu, in statu patriæ, non discipuli, sed doctores, non  
 peregrini, sed *domus* Dei inhabitatores futuri. Ibi  
 alter alteri præluceat ad Dei benignitatem ebucci-  
 nondum, ad majestatem Dei adorandum, ad vias,  
 ad *itineris* charitatis, & immortalitatis, coronæ &  
 gloriae, gaudii & jubili calcandum. Ad hæc canti-  
 ca & tripudia, amœna & beata, nos *doceat* vias suas  
 cœlestis ille doctor, noster Pater; in hasce nos du-  
 cat vias Deus Filius, noster Redemptor; ad hasce  
 nos alliciat vias Deus, Spiritus sanctus, noster cor-  
 robator: cui Tri unitati Sanctæ & venerandæ, in  
 hac fragili domo, suo templo Sancta Cœna fruituri,

pro tempore, & in cœlesti domo, in secula seculo-  
rum laudes & gratarum actiones immolamus. A-  
men, Amen, Amen.

## C O N C I O I V.

## T I T U L U S.

Spiritualia piæ animæ Tragemata  
exoptatissima.

TEXTUS. Ex Cap. 55.v.1.2. Esi.

Vers. 1. Heus quisquis sitit, venite ad istas aquas, & cui  
nulla est pecunia: venite, comparete, & comedite, re-  
nite, inquam, comparete absq; pecunia, & absq; pretio,  
vinum & lac.

Vers. 2. Cur expenditis pecuniam pro nullo cibo, & labo-  
rem vestrum pro re minimè saturatura? auscultare  
indefinenter mihi, & comedite bonum, atque oblectet  
se hâc pinguedine anima vestra.

## E X O R D I U M.

**M**ephiboschet, fratres charissimi, cum Rex  
David ipsum regiā dignabatur mensā, in hęc  
prorumperebat verba: *Quid est servus tuus ut respexeris  
ad canem mortuum?* 2 Sam. 9. 12. *qualis ego sum?* Adeo  
etiam non laudanda tantum, sed & admiranda Dei  
erga suos est charitas, benignitas; ut illius longitudi-  
nem, latitudinem, & profunditatem humili pectore,  
verā gratitudine supplices suppliciter adorent. Tan-  
ta illa Dei est charitas, ut illa captum piorum trans-  
cendat, animum ad amorem Dei accendat, & con-  
fessionem indignitatis ori illorum & cordi eliciat.

Hinc

Hinc illa Jacobi humiliatio, *Gen. 32.* Hinc illa Davidis gratitudo, *Psal. 103.* Paulus hanc Dei charitatem invocat, *Eph. 3.* Petrus illam deprædicat, *1. Pet. 2. 9.* immò tota illa splendida Angelorum corona illam ebuccinat, *Luc. 2.* Et quid hic Mephiboschel dicit Regi Davidi, nónne hoc omnes credentes maximo jure Deo dicant? Quid etenim illi respectu potenterissimi Dei quām imbeciles; ditissimi, quām pauperes; generosissimi, quām ignobiles; summi, quām pulveres; purissimi, quām impuri; immò mortui canes sunt. Hisce jam deformibus, nihil pulchritudinis; abjectis, nihil honoris; impuris, nūl virtutis; infirmis, ad spirituale bonum, nūl roboris, suā naturā inerat. Et nihilominus, Deus clementissimus ille Rex Regum, hosce impuros canes, meritò abjiciens accepit; puniendos, dilexit; interimendos, ad regiam suam munificam, magnificam, lautam mensam vocavit; vocavit, inquam, ut pinguedine amoris sui, ibi nutrirentur; lacte benignitatis suæ, ibi reficerentur; vino salutis excitarentur; vocavit ex amore, favore; vocavit illos ex gratia, munificentia. Quoniam nos Mephiboschetos miseros, beatissimus; egenos, ditissimus; afflictos, potentissimus, ad lautissimis, variis, exquisitissimis epulis instructum convivium, mensam suam regiam vocat, excitat, accendit, premit; Nónne ad illam splendidissimam nostri Davidis mensam, cum adoratione illius liberalitatis; demonstratione nostræ gratitudinis; probatione & preparacione nostri cordis, advolemus? Justo & decenti, illud ut fiat, ad nostri instructionem, ordine, contemplaturi & perponderaturi sumus.

DE SACRA COENA  
PARTES.

I. *Jucundam invitationem.*

II. *Saluberrimam informationem.*

V O T U M.

Fac, benignissime Deus, nihil nobis ut sit tuâ *invitacione* suavius, nostri hâc *informatione* gratius; ita, ut tibi nos vocanti obediamus, tibi nos informantî patulas & morigeras aures præbeamus, ad ineffabilis tuę liberalitatis laudem, animarumq; nostrarum salutem, *Amen, Amen, benignissime Symposiastes, Amen.*

I. P A R S.

*Jucunda invitatio.* Considera hic:

I. *Quis invitat.*

II. *Quos invitat.*

III. *Ad quid invitat.*

I. *Quis invitat.* Hoc scitu pernecessarium est. Invitantis enim dignitas, convivio honorem; maiestas, splendorem; liberalitas, jucunditatem ineffabilem parit. *Quis ergo est, qui hic invitat, qui illud Heus intonat?* Non Angelus, Patriarcha, aut Rex quidam: Sed Angelorum Princeps, Patriarcharum clypeus, Regum coronator. Ille qui punire, hic invitat; qui maledicere, benedicit; qui terrefacere posset, reficit; allicit, trahit mortales ad delicias suas. Ille, *Heus clamitat, ille invitat,* qui ut creator, suis creaturis; ut Rex, suis subditis; ut Dominus, suis servis; Pater, suis filiis imperare potuisset, ut venirent. Clamitat *heus*, ad homines diaboli astu, mundi æstu seductos; procul à gratia thesauro, *Ephes. 2.13.* remotos; à virtutis via, in devia vitiorum abreptos. *Pet. 2.25.* peccatorum pēlagos

CONCIO IV. 115

lago ferè submersos; profundo securitatis somno correptos, ab ejusmodi deviis in rectam virtutis viam revocandum; gratiā suā illos nobilitandum; mortis barathro extricandum; ex altissimo iniquitatum somno excitandum. *Hens.*, intonat, ut suum erga miseriosos amorem; & summum salutis illorum ardorem adumbraret: ut clara illius documenta, in Novo Testamento, etiam apparent, *Matt. 23.37. Luc. 19.41. 42.*

# DOCTRINA.

**O** amore! Deus, hominibus irâ dignis, gratiam suam effert.

RATIO. I. *Hens*, intonat, ut invitet; invitat, ut ditet; ditat, ut beat miseros, nudos.

2. Quid enim illi, qui cœci, immo ipsa cœcitas sunt,  
Deum, merum oculum; claudi, Deum, merum pe-  
dem, ut ita loquar, vel celerrimum; pauperrimi,  
Deum, rerum omnium bonorum uberrimum fon-  
tem, ad spiritualia hæc bona moverent?

3. Ditissimus ille Deus, non auro allici, potentissimus, nullâ vi cogi; justissimus, nulla vanâ bonorum operum jactantiâ, nullis superstiofis illis meritis, impelli poterat, ad hæc maxima bona illis minimis largiendum.

4. Omnia hic parata, *Luc. 14.17.* Nulla hic valent  
merita; sola divinæ misericordiæ hic conspicuntur  
fluenta.

5. Ille convivium facit, *Esa. 25.* 6. ille mensam instruit, *Psal. 23. 5.* ille ad epulum suum homines accedit, ex gratia, *Matt. 11.*

I. Usus. Corre<sup>o</sup>lio. Ab, Ab, quam multi sunt, qui  
H<sub>2</sub> hujus

hujus amoris divini vinculo non trahuntur, beneficiorum divinorum rivulo non ducuntur, suavissimo invitationis sono non alliciuntur, ad eum, qui hic clamat *heus*, qui fons est bonorum, qui ipsa est suavitatis, qui magnificum præparavit convivium. Sed quando Diabolus trahit ad peccata; clamans *heus*: quando mundus impellit ad vitia; clamans *heus*: quando carnis motus, rapit homines ad impudica; clamans *heus*, mox erigunt aures animumque ad illorum allectamentis, irritamentis, meritis istis tormentis obtemperandum, illorumque provinciam suscipiendum. Sed quid sunt illæ carnis, diaboli & mundi *dæpes*? Animæ pestes. Quid illa voluptatum; immensa ista *lenocinia*? Animæ *latrocinia*. Quid illorum *mensa*? *Laniena*. Ut erat illa Parisiensis, hujus speculum. Quid illorum in hac mensa *mel*? Aspidum *fel*, Job 20.14. Schimschon ad *heus* Delilæ aures aperiens, miser miserrimè honore & robore exutus est, *Jud.* 16. Saul Pythonissæ aures patefaciens, *i. Sam.* 28. spe sua frustratus & metu prostratus est: Haman ad *heus* Estheræ ad convivium illius approporans, gloria & vita unius horulæ curriculo spoliatus est, *Esth.* 7.10. Adhuc diaboli, mundi & carnis interesse gaudes *dapibus*, animæ *retibus*? Adhuc illis vociferantibus *heus*, *heus*, des aures? Hic ergo, ô homo sape, ne istis Hyenis capiaris. Horum *heus*, *in eheu!* tandem commutetur.

2. Usus. *Admonitio*. Adoremus hanc Dei charitatem erga nos. Estheræ Regem adorabat: Sed nos hunc Regem adoremus, cuius majestas admiranda; cuius liberalitas in æternum laudanda; cuius charitas est ineffanda.

ineffanda. Absolon Patris sui Regis filios, suos fratreſ invitabat, 2. Sam. 13. 25. Sed Deus nos abjectos ad convivium invitat, dicens: *heus*. Assuerus potens ille Rex, invitabat ad ſuum ſumptuosiflimum convivium, magnates ſuos, Eſth. 1. Sed Deus nos mendicos invitat, intonans illud *Heus*. Qui enim decor, in nobis deformibus? Qui splendor, in nobis obscuris? Quæ nobilitas, in nobis contemptis? Quæ dignitas, in nobis iuſtis, inveniri poterat, ad Deo illud graticulum nobis *heus* extorquendum? Tu, ô Deus, virtutum fons, clamando *heus*, vitiorum maſſam: tu nobilitatis omnis ſcaturigo, hominum despectorum frequentiam: tu ſummum illud bonum, mendicorum catervam, ex gratia ad epulum tuum invitaſti. O amore! Quid hoc aliud, quam si cœlum, infernum; iuſtitia, iniquitatem; vita, mortem invitaſſet? Quis hunc amoris Oceanum comprehendat? Quis hunc benignitatis ſolem rectâ aspiciat? Elisabetha à Maria visitata, admiratione maximâ capta, exclamat: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? *Luc.* 1. 43. Nónne nobis in ſummam admirationem raptis exclamandum erit: Unde hoc nobis, quod tu cœli terræque creator & formator, ad nos miseros, salute tua, accedis? Quod tu ſalutare illud *Heus* effundis? Huic ergo exoptatissimo, ſaluberrimo Dei *Heus*, attentos nos præbeamus. Abraham, per hoc *Heus* Dei vocatur ad moleſtias, erat paratus ad iſti *Heus* Dei mōrigerandum, *Gen. 12. 1*. Nónne multò magis nos, huic acceptissime *Heus*, morem geramus ad delicias? Moſes per hoc *Heus* Dei, alacer factus est, ad crudeliffi-

mum istum Regem Pharaonem alloquendum, *Exod.*  
**4.** Nónne nos multò expeditiores per hoc *Heus* simus,  
ad, in S. cœna, precibus gratiarūmque actionibus,  
Christum benignissimum illum Regem & Sponsum  
nostrum compellandum? Heros ille Gidhon, per  
*Heus* Dei, promptus extitit ad conflictum contra ho-  
stes, *Jud. 6*. Nónne nos multo magis accincti simus  
per hoc *Heus* Dei, ad triumphum agendum in S. cœ-  
na de hostibus nostris? O anima mea, quam beata-  
eris, si huic Dei tui *Heus*, jam dicto audiens sis futura,  
ad hanc mensam, illud voluptatis plenum *Euge* per-  
cipies, & hauries ex ore Salvatoris ad magnum illud  
convivium, *Matth. 25.21*. Sed audiamus:

**II. Quos invitat. Ubi observaturi:**

I. *Illorum quantitatem.*

II. *Illorum qualitatem.*

I. *Illorum quantitas*, sive numerus, hoc exprimi-  
tur verbo: *Quisquis*. Ille benignissimus hospes, non  
ut Assuerus, majestatis, affabilitatis, liberalitatis sua  
indicia, magnatibus tantùm regni sui objicit con-  
templanda & trutinanda: sed unicuique divitias &  
delicias, dona & bona regni sui obtrudit perponde-  
randa. *Quisquis*, non dives, sed & exhaustus; non do-  
ctrinā positus, sed & incultus; non generosus, sed &  
plebeus; non Dominus, sed & servus hujus cœnaculi  
januam offendit pro se apertam, modò (ut statim  
audiri) fidei pede sit prædictus, & nuptiali ueste ami-  
ctus, *Matth. 22*.

Nulla enim hic personarum distinctio, nullus per-  
sonarum respectus, *Act. 10*. Judæus, Græcus, mas, fœ-  
mina;

mīna; omnes unum sunt, Gal. 3.28. *Quisquis* hīc ar-  
denter petit, accipit, Matth. 7. *Quisquis* hīc inde sincer-  
ter querit, invenit. Hīc, hīc, benignitatis divinē fons,  
quo *quisquis* refici: hīc, hīc, salutis æternæ mons,  
quo *quisquis* frui: hīc gazophylacium uberrimum,  
quo *quisquis* ditari: hīc convivium lautissimum, quo  
*quisquis* recreari affatim potest. *Quisquis*; nam omni-  
bus hæc bona spiritualia bona necessaria; omnibus  
salutaria: & nullus erit, qui Christo potest carere, qui  
cœlesti convivio gaudet gaudere.

## D O C T R I N A

*Nulli* credentium gratiā divinā excluduntur.

- R A T I O. 1. *Quisquis* clamitat hic liberalissimus.  
 2. Omnes ad se vocat, Matth. 11. omnes ad se invitat,  
*Joh. 6.* omnes ad gratiam instimulat, *Luc. 14.23.*  
 3. Omnes Spiritu suo beat, per illum nos regenerat, *Joh. 3.5.* sanctificat, fide ornat, spe firmat, charitate coronat, quod si infrugiferum in illis est cor, fœcundat; quod aridum est, humectat; quod languidum est, corroborat; quod vulneratum est, obligat.  
 4. Si nonnullorum Regum liberalitas & benignitas quam plurimos refocillavit: Nōnne Regis Regum munificentia quosvis credentes reficeret?  
 5. Si Alexander ille magnus ausus fuit de se prædicare, quod unicuique esset daturus, quod desideraret: Nōnne majori, meliori jure hoc de largissimo Deo afferendum, quod ille largiturus sit cuique credentium, quod appetit, modo saluti non pugnans?  
 1. Usus. Corrēct. Ah quam fatui illi jam sunt, qui se hoc Euangeli & gaudii; lucis & voluptatis;

glorię & opulentię convivio excludunt! Prætendunt indignitatem. Qui hīc vocat: *Quisquis*; & indignos ad gratiæ suæ epulum invitat, *Luc.14.* Nam non convivarum dignitas, sed convivatoris benignitas hic attendenda est. Tu te hoc amoris divini convivio excludas, quo ille desiderat te includere? *unusquisque æger, vulneratus festinat ad medicum corporis;* & tu aspernens medicum cordis, qui te ad se allicit, clamans: *Quisquis?* Qui tibi defatigato acopon: tibi vulnerato oleum pancreston: tibi à morte infestato antimathon esse gaudet. O ergo infelicissimum, ad hunc, qui hīc clamat: *quisquis;* adventare si tergi-  
verseris!

2. **Usus. Admonit.** Ad hanc gratiæ cœnam, fratres charissimi, jam alaci pede & corde prosiliamus. Nihil, nihil nos ab illâ absterreat. *Quisquis;* hīc Rex & hospes clamat, & fidem nostram affectat. Simodò fide donati erimus, hoc gratiæ edulo gaudebimus. Nihil hominem ab hisce gratiæ bellariis arceret: Non Jobum sua impatientia, *Job.3.2.* non Lazarum sua indigentia, *Luc.16.* non Bartimœum sua covitas, *Marc.10.51.* Non Chananæam illam mulierem sua indignitas, *Matth.25.28.* ab hisce amoris ferculis prohibet. *Quisquis* hic venit, invenit; *quisquis* ad hoc misericordiæ epulum fidei pedibus *accurrit, acquirit;* *quisquis* illud ex animo affectat, animæ æternum thesaurum sibi comparat. O beatam animam meam, ad hæc charitatis divinæ fluenta jam si afflues, vocatorūmque hīc numero si te ascribes. *Sed animad-vertamus etiam;*

## II. Qualitatem invitatorum.

Ubi venit considerandus;

## I. Internus.

## II. Externus illorum status.

I. Internus illorum status; sitit, appetit, petit. Qui sitit, defectum rerum spiritualium sentit: qui sitit, luctum ob illum suum exprimit: qui sitit, & inopia illam expleri vehementer illamè gestit: qui sitit, & sitit illius exunguendæ media unicè quærit: qui sitit, & inventa mox remedia avide arripit, illis se reficit, illis sitim suam dispellit. Quo sum enim aliás hæc divinæ misericordiae, munificentiae, gratiæ fluenta spe-  
ctarent? Ut cibus non arridet saturato, corrupto pa-  
lato; Ut potus non arridet crapulâ enervato: ita Chri-  
stus, cum cunctis spiritualibus, non arridet inani si-  
ducâ turgido, terrenis cupiditatibus immerso, carnis  
illecebris infecto. Qui sitit clamitat Propheta; qui, ut  
exhausta terra cœli appetit pluviam; ita quoque Dei  
appetit gratiam. Qui ut cervus glocitans affectat ri-  
vum: ita etiam desiderat spiritualem potum. Qui  
sitit. Sitizeni enim potus desiderabilis, delectabilis.  
Sitizeni, inopiam videnti, sentienti, deflenti, gratia in  
Christo oblata, nata, data, rara & chara est.

## D O C T R I N A.

## Gratiam Dei credentes desiderent.

- R A T I O. 1. Sitit, gratiam Dei expetit.
2. Sine hoc desiderio, nulla gratia obtineri potest.
  3. Hoc gratiæ divinæ desiderium, est via, per quam ad illius thronum itur, *Hebr. 4.16*. Per hoc præparatur cordis vasculum, ad gratiæ divinæ rivum ex-  
cipiendum, *Luc. 1.53*.

4. Aurum

4. Aurum si homines desiderant, gemmam si affectant; quantò magis credentes, gratiam Dei auro magis auream, gemmis magis gemmeam, appetant.

5. Si Jonathan famis aculeis exagitatus, & summo corporis languore correptus, mel illud fluitans appetiit, *1. Sam. 14. 28.* quantò magis fideles dulcedinem amoris divini appetant, *Psal. 34. 9.*

6. Ut dives mendico aliquid desideranti liberalitate succurrit: ita Deus sua effundit in illa flagitantes, *Luc. 1.*

7. Hinc illud Mariæ, *Luc. 1. 53.* Famelicos implavit bonis. Huc illa Davidis tendunt suspitia, *Psal. 42.* Eò respiciunt Publicani vota, *Luc. 18.* Hoc innuunt Samæitanæ mulieris desideria, *Joh. 4. 15.*

1. *Usus. Correctio.* Multi sunt qui vana & ciō deflorescentia mundi bona sitiunt, ut regnum, honorem & voluptatem; quę sitis s̄aepetalem sitim, quali premebatur dives in inferno, procreat, *Luc. 16. 24.* David sitiebat aquas cisternæ Beth-lehami, cū periculo haud levi trium potentissimorum Heroum, *2. Sam. 23. 15. 16.* Sed illi mundani, vani, & vesani, cum iactura corporis juxta ac animæ, aquas mundi flagrant. Eques quidam, ut Manlius observavit, siti cruciatus, loco quodam deserto hausit aquam, & cum illa semina serpentum, quibus serpentes producti sunt, & nulla ferè requie uti potuerit, nam in primis jejonus, eorum morsus experiebatur venenatos & doloriferos: Sed illi per istam rerum mundanarum sitim infernalem illum serpentem non stomacho, sed animo acquirunt. Quidam gubernator siti pressus, ar-

cem quam defendendam suscepserat, hostibus tradidit: sed illi, siti rerum mundanarum vexati, animam hosti generis humani offensissimo tradunt. Væ, vae illis!

2. Usus. *Admonitio.* *Sitiamus*, nos fratres dilecti, *sitiamus*, inquam, gratiam divinam, qua tentationum æltus extinguitur: *Sitiamus* castam vitam, qua cupiditatum prævarum insultus frangitur: *Sitiamus* sanctam Ecclesiam, qua voluptatum potus hauritur: *Sitiamus* guttulas divini amoris, cum Publicano, *Luc.*

*18.* Terra arida aquam expetit; infans mammam appetit: Sed nos *sitiamus* ubera illa consolationū, fontes spiritualium voluptatum, *Esa. 66.11. Psal. 36.9. Psal.*

*46. 5.* Hagaræ *sitienti* demonstrabatur puteus aquæ, fons vitae, *Gen. 21.19.* Nobis misericordiam Dei, in legitimo S. cœnæ usu, *sitientibus*, indigitetur scaturigo perennis vitae; imò ex ventre nostro flumina aquæ viuæ fluent, *Job. 7.38.* Quid poteris, anima mea, plus sitire?

II. *Statum jam quod concernit externum*; ille hisce adumbratur verbis: *Cui nulla est pecunia.* O immenses amoris Christi thesauros! o inexhaustam liberalitatis Iesu Christi abyssum! *Cui opibus exutorum ad lautiores pertingere conceditur dapes?* *Cui curta est suppellex domi*, ille non sit facile particeps delicatioris cibi: *Cui vacua est crumena*, is non facilè fruitur confertâ ferculis cœnâ. Si quid horum cadit in inopem, illud est beneficii signum, & non meriti vestigium: Jesus Christus suum *Heus*, per Prophetam, contentâ voce extollit ad propriâ justitiâ vaquos, ad peccatores

catores miseros, ad nudos, ad egenos, qui cum Publicano Dei gratiam implorant, *Luc. 13.18.* cum prodigo, patris munificentiam desiderant, *Luc. 15.21.* cum Petro, iniuritatis potentiam deplorant, *Matth. 26.* Tales spirituali inopinâ colluctantes, Christus hîc per Prophetam alloquitur: tales, inquam, *cui nulla pecunia, nulla bonorum operum jactantia; nulla vana gloria; nulla propria justitia; nulla ficta merita sunt.*

## D O C T R I N A.

*Deus, ad convivium gratiae suæ invitat miserrimos, pauperrimos.*

RATIO. 1. *Cui nulla est pecunia.*

2. Miseros vult beare, egenos ditare, abjectos nobilitare, exutos ornare; ut ita in illis miseris, Dei liberalitas; abjectis, majestas; exutis, ubertas apparet, splendoreret.

3. Liberalitatis enim suæ, in convivio gratiae, vult splendere signa; non fastuosa ibi gestit videre opera, *Matth. 15.*

4. Miseros Deus invitat; illi enim Dei bonitatem agnoscent, liberalitatem evoluunt, gratitudinem suam aperiunt.

5. Illis cara & chara divinæ benignitatis opera: illi dilatant os, *Psal. 81.11.* ad delibandum amoris divini fercula, degustandum benignitatis illius fluenta, *Psal. 34.9.*

6. Famelici implantur bonis, *Luc. 1.53.* Pauperrimi ditantur donis, *Apoc. 3.* Nudi ornantur vestimentis, *Luc. 15.*

1. Usus. *Correccio.* Illi merito corripiendi, qui non

non allecentur munificentia invitatoris, instimulantur excellentia hujus ubertatis. Qui Dei se proclamant vicarios, & interim omnia spiritualia venalia exponunt, protrudunt. Cui nulla est pecunia, nulla ei & peccatorum in papatu remissio; nulla ei ad sacra admisso; nulla ei ex purgatorio, ut affirnant, continet emissio. Cui nulla est pecunia, nulla ei in papatu contingit missa; nulla ei occurrit Pontificis gratia; nulla ei evenit Sacerdotis amicitia. Hocce, O Pontificii, est imitari Dei benignissimi exemplum, qui clamitat; Cui nulla est pecunia? vos ad Deum cursitan-tes, crepatis aurum propriæ vestræ justitiæ, argentum vestræ erga alios munificantæ, thesauros bonorum vestrorum operum integros, opera, inquam, supererogatoria. Vos cum Laodicensium Ecclesia jactita-tis vestræ divitias; dicentes: Divites sumus, ditati sumus, & nulla re nobis est opus, Apoc. 3. 17. O miseros! Paupertate æternâ opprimemini, nisi resipiscatis. Ventus justitiæ divinæ pulverem vanæ bonorum vestrorum operum jactantiæ, diffabit; Ignis furoris divini, stipulam vestræ arrogantiae & opulentiae, devorabit. Pecunia enim vestrorum operum, ad lydium justitiæ divinæ lapidem examinata, nullius erit valo-ris; Statera sanctitatis divinæ commissa, nullius erit ponderis, Psal. 143. 2. Esa. 64. 10. Job. 9. 15.

2. Ussus. *Admonitio.* Nos, dulcissimi fratres, jam invitati ad S. cœnam, ad gratiæ divinæ mœsam, non premamus pontificiorum vestigia; absit à nobis omnis rerum spiritualium jactantia; eliminata sit ex corde nostro omnis arrogantia. Suspiremus potius, hunc

hunc in modum, ad Deum nostrum: ô Deus, nostram agnoscimus *indigentiam*, & tuam appetitus *opulentiam*. Nihil, nihil nobis est, ô Deus, *pecuniae*, *justitiae*; *pecuniae*, *temperantiae*; *pecuniae*, *puritatis*; *pecuniae*, *charitatis*; *pecuniae*, *domi*; *pecuniae*, boni, à naturâ, ad gratiam tuam emendum, ad justitiae tuæ satisfaciendum, ad debitum nostrum solvendum. Qui invitantur ad convivia, illa recompensare student; Sed quî hanc S. cœnam, hoc gratiæ & munificentiæ tuæ divinæ convivium remuneremur? Ad nuptias invitati, honorariis sæpè advolant: Sed quid nos tibi, ô benignissime Deus, ad nuptias hasce spirituales invitati, offerramus? Ære spirituali obruti sumus; Lazaro pauperiores sumus, non quoad corporalia, sed quoad spiritualia. Non enim tanta erat Lazari corporalis *indigentia*, quam nostra spiritualis est miseria. Nos sumus ille servus, qui non erat *solvendo*, Matth. 18. 24. O beatos nos, talia si ejaculaturi suspiria sumus ante S. cœnæ usum! Vascula vacua oleo, vinóve repleti possunt: ita & corda nostra, omni inani spiritualium divitiarum jaētantia destituta, vino & oleo divini amoris ad summum replerentur, Luc. 1. Pater filium prodigum nudum ornabat, famelicum cibabat, mœstum exhilarabat, Luc. 15. 22. Ita Deus, pater ille cœlestis, fons omnis paternitatis, nos prodigos, ad gratiæ suæ convivium, properantes; nos, inquam, sine ære, & veste; argento & cibo acceptabit, in S. cœnâ recreabit, bonis suis accumulabit, donis ditabit. Si injustus ille judex viduæ pauperrimæ est auxiliatus, Luc. 18. 5. quanto magis justissimus ille judex, blandissimus Pater, li-

ter, liberalissimus noster hospes Deus, in mensa sua, sua S. coena, nobis auxiliaturus est. Sed, quæso erigamus aures ad percipiendum :

III. Ad quod illos Deus invitat:

Observetur hic;

I. Res ipsa.

II. Modus illam adipiscendi.

I. Res ipsa. Ad aquas. Siti prezzo absque potu, absque aqua pereundum est. Ut illa Hagaræ aperiunt suspria, Genes. 21, illa Samsonis innuunt lamenta, Jud. 15. Ut siti intolerabili infestatis, & illa ferme jugulatis, nihil gratius, nihil suavius à Deo dari, creari potuit, quam limpidissimæ aquæ fons, quo sitis illorum mitigari, quo corpus corroborari, quo anima recreari potest: sitientibus, lugentibus, defatigatis, emaciatis animabus nihil acceptius est spiritualibus istis aquis, in Christo, plenissimo illo fonte, illis oblatis, natis, datis, Joh. 1.16. quæ aquæ sunt lenes, Psalm. 23.3. quæ aquæ sunt perennes, Joh. 4. vivæ aquæ, Joh. 7.73. Apoc. 21.6. gratae aquæ, Joh. 4. aquæ recreantes hominem; aquæ illuminantes mentem. Mel reficiebat Jonathanem, 1. Sam 14. 28. Sed aquæ ex Christo profluens reficit quemvis fidelem, Matth. 11. 28. Johan. 15. vers. 14.15.

D O C T R I N A.

Per corporalia Deus suos, ad cœlestium cognitionem, pervehit.

RATIO. 1. Ad aquas, ad misericordiæ meæ scatæbras, verbo & sacramentis propositas.  
2. Pernotiora, ad recondita; per dilucida, ad abs-  
trusa;

728 DE SACRA COENA  
erufa; per terrestria, ad cœlestia cognoscenda, suos  
perducit, ut ita commodius rerum divinarum cogni-  
tione intingantur.

3. Ut ingeniosi illi ingeniorum artifices teneram  
informant ætatem: Ita cœlestis ille ingeniorum  
creator & informator agit, per facilitiora suos ad dif-  
ficiilia erigit.

4. Ut hortulanus tenerimas pede affigit arbores;  
ita cœlestis ille hortulanus, rudes illos animos, dilu-  
cidis institutionibus, veluti fulcris, staruminat.

1. Usus. *Correctio.* Ab, quam plurimi ad hasce ar-  
moris divini aquas properare nolunt. Siti infestus si  
aspernetur aquam saluberrimam, ubi alius depromi-  
non potest potus, enecatur: ita & illi aquas divinæ  
gratiæ repudiantes, siti peribunt. Aquas, qui con-  
spurcatus, rejectat, immundicie sua liberari nequit:  
ita & illi peccatorum luto polluti, amoris divini a-  
quas, sanguinis filii Dei guttas nihil aestimantes, sua-  
impuritate non liberabuntur. Quia sine hâc Dei gra-  
tia, sine hoc filii Dei sanguine, nulla datur animæ pu-  
ritas, *1. Joh. 1. Zach. 13.1.* Desiderabitis hasce amoris di-  
vini aquas cum divite in inferno, sed frustra, *Luc. 16.*  
Nam hanc S. cœnam qui jam negliget, hanc gratiam  
qui contemnet, nullam amoris divini aquam impo-  
sterum offendet. Qui jam habet aurem, audiat, *A-  
poc. 3.22.* & animum suum, non ad vocem Dei invi-  
tantem, ad hasce gratiæ suæ aquas, obduret, & ob-  
turret, *Psal. 58.5. Psal. 95.8.*

2. Usus. *Admonit.* Hasce jam gratiæ divinæ a-  
quas sitiamus. Homerus oceanum, rerum patrem no-  
minat;

minat, sed nos oceanum, hunc Dei gratiæ, rerum spiritualium patrem nuncupemus. Thales, ex aqua omnia corpora sublunaria ortum suum trahere, a-  
 struit: Sed nos, ex hac aqua, ex hac Dei gratia, omnes sublunares sanctos, & super-lunares beatos originem suam cepisse, affirmemus. Nihil enim huic aquæ,  
 huic Dei gratiæ, dignitate, suavitate, virtute æquiparari potest. Aqua abluit sordes corporis; hæc aqua, hæc Dei gratia tollit maculas corporis juxta ac animæ.  
*Aqua* hominem intensissimo æstatis calore mirum-  
 in modum reficit: sed hæc Dei gratia, in S. Cœna, æ-  
 stum tentationis restinguat. *Aqua*, veluti lacte, vege-  
 tabilia vigent: Hæc Dei gratiæ, in S. Cœna, vivet &  
 viget anima nostra, Ps. 103. *Aqua* nonnullæ sunt me-  
 dicamentosæ: hæc Dei gratia, in S. Cœna, medetur o-  
 mnibus morbis nostris, Psal. 103.3. *Aqua* nonnullæ ex  
 vegetabilibus elicite juvant oculos: hæc Dei gratia,  
 in S. Cœna, est instar collyrii, Apoc. 3.17. Nonnullæ *a-  
 quæ* sanguinem despumant: hæc gratia Dei, in S. Cœ-  
 na nobis obsignata, sanguinis nostri motus purificat.  
 Inveniuntur aquæ, quæ profundunt stomacho: hæc gra-  
 tia Dei conductit animo. Sine aqua nihil vivere potest:  
 nec sine gratia Dei aliquis per momentum consi-  
 stere potest, Act. 17. Ps. 103. Terra, justo tempore, aqua  
 rigata, est fertilis: ita cor illud est fœcundum, quod  
 gratiæ Dei fluentis humectatur. *Aqua* terras sæpè de-  
 glutit: gratia Dei peccatorum nostrorum molem ab-  
 sumit, Esa. 43.12. Mich. 7.19. *Aqua* flamas necat: hæc  
 gratia Dei, iræ ipsius flamas profligat, Ps. 103.10.11.12.  
 13. *Aqua* oceano inclusa est inexhausta: quanta est et-

iam gratiæ Dei in S. Cœna abyssus! Quàm profundi illius divitiæ! Rom. u. 33. Deficit me, ô Deus, vox quâ jam ad S. Cœnam festinans, hasce aquas, hanc tuam gratiam, amorem hunc tuum, extollam: angustior cordis mei est capsula, quâm ut hanc aquam, hanc tuam gratiam capiam. Tu igitur me tuum convivam jam redde disertum, ut eam exponam: Tu dilata cor meum, ut eam, vel ejus saltem guttulam, jam ad mensam tuam acquiram: Tu illius aquæ, illius tuæ gratiæ gustum animæ meæ implantâ, ut ad genuinum illius dulcorem pertingam. Perfunde me, ô Deus, jam, in usu S. Cœnæ, hâc bonitatis aquâ: irriga jam meam mentem hâc cognitionis aquâ, ut instar aquæ limpidae purus conviva oculis tuis appaream. Talia, talia suspiria, intimo ex pectori, ad hujus gratiæ, veræ animæ aquæ fontem, in S. Cœna etiam apertum, tendentes effundamus; ut ejus rivulis humectemur, recrec- mur, fœcundemur, mundemur, sustentemur; usque- dum æternis voluntatum aquis in magno isto convi- vio potiamur. Jam sequitur: II. Modus illam adi- pisciendi.

Notetur:

I. *Invitatio ad istum modum.*

II. *Modus ipse.*

I. *Invitatio ad istum modum. Venite.* Quid tergiver-  
samini miseri, exhausti, sitibundi? Nonne sitis, in vo-  
bis, desiderium aquæ, aquæ inquam, limpidissimæ,  
suavissimæ, saluberrimæ, gignat? Non desideratur hic  
plena crumena; sed plena fiducia: Pedes, pedes hic  
prompti, animi hic expediti, ad me fontem refocilla-  
tionis, fontem salutis, *veniendum*, sunt pernecessarii:  
Ut sit

Ut siti pressus ad aquas celeri accurrit pede: ita &  
vos ad me alaci confluite corde.

## D O C T R I N A.

*Sola fide ad spiritualia pertingendum.*

RATIO I. *Venite, nimirum fidei pede.*

2. Fidei alis, ad hoc cadaver, Jesum Christum crucifixum, volitandum, *Matt. 24*. Fidei pede, ad hoc spirituale convivium properandum, *Joh. 6*. Fidei oculo gratiae Dei dignitas contemplanda; Fidei ore illius suavitas delibanda; fidei manu illius ubertas cordi applicanda est.

3. Per fidem inhabitat in piorum cordibus, *Eph. 3:17*. Fide Christus induitur, *Eph. 4:24*. Fides est vestis illa nuptialis, qua coram Sponso splendeant, *Matt. 22*.

4. Per fidem coram Deo justificantur, *Rom. 1*. per fidem ad novam vitam regenerantur, *Colos. 2:12*. Fide corda illorum purificantur, *Act. 15:9*. per fidem Christo inseruntur, *Col. 2:7*. per fidem vivunt, *Gal. 2:20*. per fidem cum Christo resurgunt, *Col. 2:12*. fide Spiritum sanctum accipiunt, *Eph. 1:17*.

I. *Usus. Correct.* Nonnulli veniunt ad dapes mundi, & ecceli rejiciunt: ad opes diaboli, & Dei contēnunt: ad voluptates carnis, & Salvatoris respūnt. Alii *venire* detrectant, visco rerum mundanarum affixi, voluptatibus irretiti; ut ovibus & bobus, fœmina & gloriâ, *Luc. 14*, *Venire* nolunt ad Dei gratiam, propter illius iram; *venire* ad hæc emoris Dei aquas, propter illius pœnas; ad sacrum hoc convivium, propter illius infernale epulum, adipiscuntur. *Væ*, *væ* illis. Nam nemo illorum Cœnam Christi gu-

2. Usus. *Admonitio.* *Veniamus, veniamus nos ad*  
*hasce gratiae Dei aquas; veniamus non tantum cor-*  
*poris pede, sed in primis cordis fide, Joh. 6. veniamus*  
*ad aquam, ad Dei gratiam, ad ipsius mensam oculo*  
*fidei, ut illius splendorem recte aspiciamus; manu*  
*fidei, ut spiritualia fercula recte apprehendamus; Sto-*  
*macho fidei, ut hasce amoris Dei aquas recte dige-*  
*ramus. Veniamus ad S. Cœnam vera fide, ut per il-*  
*lam, veluti canalem, hæc aqua, hujus gratiae Dei ri-*  
*vus in corda nostra descendat: veniamus fide, ut il-*  
*lā, veluti vasculo, hæc gratiae Dei aquæ excipiuntur &*  
*retineantur. Veniamus maximo cum ardore & amo-*  
*re, desiderio & zelo, ad hasce gratiae Dei aquas, ut fa-*  
*melici veniunt ad opipara fercula; ut pauperrimi ve-*  
*niunt ad pretiosa gazophilacia; ut ægri veniunt ad*  
*pharmaca alexica. Veniamus ad hasce gratiae Dei*  
*aquas, ut Abraham veniebat ad montis verticem: Ille*  
*relinquebat pueros ad illius radices, Gen. 22. 5. ita &*  
*nos relinquamus rerum mudanarum desideria, dum*  
*ad illas tendimus. Hydriam cum Samaritanâ mulie-*  
*re deponamus, Joh. 4. 18. amore mundi abjiciamus,*  
*aquas amoris Dei dum affectamus. Tu jam effice, ut*  
*veniam ad tuas gratiae aquas, Deus; tu animæ meæ a-*  
*morem, tu pedibus meis spiritualem instilla alacri-*  
*tatem, ut ad tuas aquas, tuam gratiam, non lento*  
*tantum pede veniam, sed celerrimo accurram; nam*  
*in illis mea æterna vita est sita. Jam venit trutinan-*  
*dus nobis: II. Modus ipse. Ubi notes:*

I. *Quomodo aliquid faciant in Genere.*

II. *Quo*

II. Quomodo aliquid agant in Specie.

I. Quomodo aliquid faciant in genere. Observa:

I. Quoad acquisitionem.

II. Quoad fruitionem.

I. *Acquisitio.* Comparete. Id est, emite. Nullum hic meritum, pretium hic nullum intenditur: sed vasculum, sed instrumentum, quo aliquid recipitur, innuitur. In emptione hæc, traditio, receptio tantum indiguntur. Comparete, ita ut mihi aliquid tradatis, tradatis nimirum veterem Adamum maestandum; tradatis impium motum jugulandum; tradatis corpus, tanquam hostiam sanctimoniac; tradatis animam, tanquam speculum obedientiae. Comparete, ita ut accipiatis mea dona & bona, merita & beneficia, vobis oblata & parata, manu fidei, Joh. 1.12. Act. 26.18. Comparete, nam hæc non otiosis, & dormitantibus; sed studiosis, & vigilantibus proponuntur. Quibus hoc in voto, ut illa bona spiritualia acquirant, regno cœlorum vim faciant, asperam salutis viam terant, omnia obstacula perrumpant, fontem perennis aquæ attingant.

### D O C T R I N A.

*Res spirituales, summo cum studio, sunt acquirendæ.*

RATIO I. Comparete maximâ cum diligentia, indefesso labore.

2. Si summo cum sudore mercator aurum; naviator lucrum; bellator triumphum querit: majori labore fideles, res spirituales, omnia mundana longo intervallo post se relinquentes, querant & acquirant.

3. Si felis sibi murem; canis venaticus sibi leporem; accipiter sibi passerem maximo cum labore acquirere satagunt: nonne credentes omnem lapide moveant, ad spiritualia illa incomparabilia bona adipiscendum?

4. Hoc præfiguratū exemplo quinque virginum prudentium oleum in vasis suis capientium, Matth. 25.4. Et viri, agrum istum, in quo thesaurus erat occultatus, eimenti, Matth. 13.44.

1. Usus. *Correctio.* Multi comparant sibi principis alicujus favorem, sed non Dei amorem: comparant sibi honoris potum, sed non amoris Dei rivum: comparant sibi corporis cibum, sed non animę ferculum: comparant sibi gemmas, sed non gratiæ Dei aquas: comparant sibi aurum: sed non salutis thesaurum. Qui nolunt sibi hasce gratiæ aquas comparare; qui nolunt in vinea Domini laborare; in palæstra Christianorum certare; ad metam anhelantes cursitare: sed otio torpescunt, bona corporalia spiritualibus, cum juvenculo, præferunt, Matth. 19.22. Mundum Christo, cum Deina, præponunt, 2.Tim.4.10. Hinc illa securitas detectanda, quæ illos cum fatuis istis quinque virginibus, cœlestibus nuptiis privabit, Matth. 25.12. Dictum jam sit hoc vobis cœnæ hujus contemtoribus, ne sero sapiatis.

2. Usus. *Admonitio.* Comparemus nobis jam illa, quæ æterna sunt. Comparemus nobis, cum peudentibus virginibus, justo tempore, oleum in lampadibus nostris, Matth. 25.4. Comparemus nobis istum agrum, Jesum Christum, quo amoris Dei thesaurus latitat, Matth.

*Matth. 13. 44. Comparemus nobis vestes nuptiales, Matt.*  
*22. Comparemus nobis salutis aquam, Dei gratiam.*  
*Comparemus nobis bonam conscientiam, gaudii cœ-*  
*nam; Comparemus nobis veram firmam spem, Rom.*  
*5. 5. animę anchoram; Comparemus nobis veram fi-*  
*dem, Christicola victoriam, 1. Joh. 5. omnia, omnia*  
*sunt comparanda non bonorum operum jaētantiā, sed*  
*Dei gratiā: Non auro, sed fidei instrumento. Non*  
*hominis hīc valet aliquid dignitas, sed Dei tantūm,*  
*pollet charitas: non bona hīc considerantur opera,*  
*ut merita, sed Dei tantūm misericordię perponde-*  
*rantur fluenta. Fidei urnā aquę Dei gratię hauriun-*  
*tur, Esa. 12. Hanc qui habet, ad S. cœnam tendens*  
*istas aquas sibi comparaturus est.*

### I I. Jam sequitur fruitio.

*Comedite. Opi para fercula sunt delibanda, degu-*  
*stanta, si palato quædam enascatur voluptas: Spir-i*  
*tualia fercula, ore fidei sunt exploranda, manducan-*  
*da, si animę palato quædam exoriatur suavitas. Come-*  
*dite, dulcedinem amoris mei gustate: comedite, &c*  
*vos spiritualibus meis deliciis saturate: comedite, &c*  
*musculos animę vestrę corroborate. Comedite, nam*  
*non potum tantūm, sed & cibum vobis præparavi,*  
*rerum spiritualium plenitudinem vobis adornavi.*

### D O C T R I N A.

*Dei beneficia fideles sibi applicent.*

#### R A T I O. I. Comeditè.

2. *Dei beneficia, spiritualia ipsius bona propo-*  
*nuntur, ut applicentur.*
3. *Ut Medicus, phæmacum ægro; chirurgus, em-*

plastrum vulnerato, praefectus belli pugnaturo clypeum offert, illum sibi ut applicet: ita Deus sua bona piis offert, sibi ut applicent, tanquam animę ægre pharmacum, vulneratę emplastrum, belligeratur scutum.

4. Hæc applicatio, rerum spiritualium est scopus & anima.

5. Hinc illa dicta, *Psal. 34. 9.* Gustate bonum esse Jehovam. *Cant. 5.* Comedite amici. *Matth. 11.* Venite ad me.

6. Hinc illa exempla David, *Psal. 23.* Deus est pax tor meus. S. Paulus, *Galat. 2. 20.* Deus dilexit me. & *2. Tim. 1. 12.* Mibi persuasum est eum posse depositum meum in illum diem custodire.

1. Ursus. *Correctio.* Hic multorum arguenda est impietas. Nam malunt comedere Ægypti allium, *Num. 11. 5.* quam terrę chananæ cibum; cum Eva, malum mortis, *Gen. 3.* quam ferculum salutis; cum prodigo, quisquillas; *Luc. 15.* quam S. coenę delicias. Illi haud dissimiles sunt ægrotis, qui comedunt illud, quod evitare debebant tanquam morbi pabulum: nam comedunt quod Deus illis interdixit, quo illorum miseria augetur. Similes sunt infanis, qui & ipsa venena deglutunt. Quoniam in S. coena, comedere nolunt ore fidei corpus Christi crucifixum, nulla est illis spiritualis vita, nulla justitia, nulla sanctimonia, que extra illud obtineri nequeunt.

2. Ursus. *Admonitio.* Comedamus, & gustemus in S. Coena, quam suavis Dominus est, *Psal. 34. 9.* Comedamus, in S. coena, & dilatemos os, ut bonis magis magisque

gíisque repleatur, *Psal. 81.* *Comedamus*, & fruamur,  
convivio rerum pinguium, pinguium, inquam, sagi-  
nariorum, *Esa. 25. 6.* *Comedamus*, ut cum Ægyptio,  
*1. Sam. 30. 12.* non tantùm vivamus pro tempore; sed in  
æternum. *Comedamus* cum Elia, non soli ut aliquem  
montem, *1. Reg. 19. 8.* sed cœli ut attingamus beatitu-  
dinem. *Comedamus*, ut cum Davide, non tantùm ma-  
nibus hostium corporalium, *1. Sam. 21.* sed & Spiriti-  
tualium elabamur. *Comedamus*, ut obedientiam no-  
stram erga Deum demonstremus: ut thesaurum mi-  
sericordię Dei nobis comparemus, *Heb. 4. 16.* *Comeda-*  
*mus* in S. coena, ut anima nostra faturetur, cibetur, di-  
tetur, recreetur, *Luc. 1.* *Audiamus* jam;

## II. Quomodo aliquid faciant in specie. Notetur:

I. *Invitatio ad modum acquirendi rem aliquam.*

II. *Modus rem acquirendi ipse.*

III. *Res ipsa.*

I. *Invitatio ad modum acquirendi rem aliquam.* Ve-  
nite inquam. Tantus amoris divini ardor, ut omni-  
modo hominum studeat saluti. Non tantùm homi-  
num salutem exoptat, sed & homines vocat; nec  
tantùm illos vocat, sed & eos invitat; nec invitat tan-  
tum, sed & invitationes geminat; illas geminando,  
ut alliceret; alliciendo eos, ut afficeret; afficiendo eos,  
ad vitam æternam ut reficeret. Ter enim hic clamat  
per linguam & pennam Prophetę: *Venite, venite, veni-*  
*te inquam;* ut ita amorem & zelum suum, in invitan-  
dis hominibus, ad gratię suę convivium, exprimeret;  
omnémque excusationis ansam illis eriperet.

## D O C T R I N A.

*Hinc, hinc auditores charissimi, appareat. Deum unice hominum salutem exoptare, & omnia quæ ad illius promotionem spectant, facere.*

RATIO. 1. *Venite, inquam, clamitat hic Deus ter-  
tia vice.*

2. *Quid aliud etiam illa Dei vota, Psal. 81.14. illa-  
oracula; promissiones illæ amplissimæ, Deut. 28. invi-  
tationes continuæ; consolationes dulcissimæ, Esa. 66.  
indigitant?*

3. *Quid aliud Prophetarum conciones, Esa. 1.16.  
Jer. 13.16. Hezechielus cap. 18. 30. 31. Christi suspirationes;  
Matth. 23. Apostolorum admonitiones innuntur,  
quæcum Deum hominum desiderare salutem? 2. Cor. 5.  
20. Nam illi unâ voce & ore clamitant omnes: La-  
vate vos, purificate vos, amovete malignitatem actionis  
num vestrarum ex adverso oculorum meorum, Esa.  
Cedite Jehovah vestro Deo gloriam, Jer. 13. Reverti-  
mini, & avertite vos ab omnibus defectionibus ve-  
stris, Hezech. 18. 30. Jerusalem, Jerusalem, quoties vo-  
lui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina  
congregat pullos suos sub alas, & noluitis? Matt. 23.  
Reconciliemini Deo, 2. Corinth. 5.*

1. *Usus. Correctio. Cur non accedis, ô homo, ad  
S. convivium? Quamdiu vocet Creator, te creatu-  
ram: cœli terræque Dominus, te servum; Ille Rex  
Regum, te subditum? Qui tibi imperare posset, ut ad  
S. suum convivium accurreres, te invitat; qui te urge-  
re posset, allecat. Venite, inquam, clamat ditissimus;  
& tu pauperrime; venite, inquam, vocat beatissimus;  
& tu miserrime, ad S. cœnam, (ubi divitiae & deli-  
cias)*

ciæ; ubi pinguedo, *Esa. 25.* & beatitudo animæ est) advolare recusares? Non vocaris hic ad convivium Regis hujus, ut Haman ille vocabatur ad convivium Reginæ, *Esth. 7.* Nam non mortis tibi imminet periculum hic, ut illi; sed salutis, vitæ, & gloriæ principium, *Job. 6.*

2. U s u s. *admonitio.* Adoremus, adoremus hunc Dei nostri amorem, morem, & rem: quod ad suum, nos convivium vocat, invitat, clamitans *venite, inquit,* qui iræ suæ fulmine nos ad illud compellere, vel reluctantes justitiæ suæ ense interimere posset. O amorem! clamat Deus ad nos amantissimè; *venite, inquam,* ad meum epulum, & ita nos amoris sui fune trahit, & vocis suæ dulcedine ad illud rapit. *Venite, inquam,* intonat, & amoris mei, in convivio meo, aspectate specula; liberatitatis meæ degustate, in illo, fercula. O charitatem! Quid aliud est hoc, quam si cœlum, terram; gloria, ignominiam; beatitudo, miseriam, invitaret? Fac, ô Deus, ut *veniamus;* duc nos amoris tui manu, & inflamma nos igne cœlesti, tuo Sancto nimirum Spiritu, ad convivium tuum lauissimum frequentandum. Effice, ut ad tuum splendidum epulum *veniamus,* ut fias tu compos voti, & nos nostrí desiderii, ut ad te dextrè in S. Cœna *veniamus;* *veni* prius ad nos, ut ductor ad errantes, ut consolator ad plorantes, ut illuminator ad caligantes. O quam felicissima eris anima mea, benignissimus tuus Deus, hisce ardentissimus tuis suspiriis, si annuerit! Jam sequitur:

II. *Modus acquirendi rem ipse.* Comparete absque pecunia

*pecunia & absque pretio.* Ne miseri omnibusque opibus exuti, ob penuriam & miseriam h̄ic tristitia afficerentur; dicit liberalissimus hic Deus: *Absque pecunia & pretio.* Ac si diceret: Regia est h̄ec mea mensa, & non capona: ad regium vocamini palatum, & non ad diversorium. Nulla h̄ic requiritur pecunia, sed devota anima; nullum h̄ic exigitur pretium, sed cor contritum. O liberalitatem!

## DOCTRINA.

*Deus largitur suis omnia, absque illorum meritis.*

RATIO I. Comparate absque pretio.

1. Quid pauperes ditissimo; nudi ornatissimo; peccatores justissimo Deo offerent, quo aliquid promererentur?

3. Quomodo illi, qui irâ Dei erant digni, illius favorem; inimicitiam, ejus amorem, gehennâ, cœli splendorem mererentur?

4. Quomodo à Deo aliquid mererentur, cui omnia debent?

5. Nullam h̄ic vult regnare bonorum operum jactantiam; sed suæ tantum gratiæ coruscare abundantiam, *Luc. i. Psal. 81.*

6. Parata omnia, & non comparata extat, *Luc. cap. 14.*

1. Usus. Redargutio. Quid crepatis vani ostentatores h̄ic vestram pecuniam? Quid venditatis bonorum vestrorum præstantiam? quid jactitatis bonorum vestrorum abundantiam? quis desideravit talem pecuniam, nam absq; pecunia? quis flagitavit tale pretium, nam absq; pretio, Deus altilia sua mactavit?

vit? Matt. 22.4. Quid valeat vestrum æs, ubi tantum est auri? quid efficiat pecunia, operum bonorum ja-ctantia, ubi hic in convivio spirituali Dei offeruntur munera? quid polleat sanctitatis vestrae pretium, ubi omnia in hoc convivio incomparabilia sunt? Velitis hic obtendere meritum quoddam, ô Pontificii; bo- ni vestri odor, in hoc epulo coram Deo, sit merus fœtor; virtus, virus; opus, pus. Absque pecunia, ditissi- mus; absq; pretio, liberalissimus, ad convivium vult ut accuras. Non enim Papicolæ, Deus desiderat o- peris aurum, sed in primis cordis thesaurum; non ve- sanam spiritualem opulentiam, sed magis veram po- nitentiam; non vanas bonorum operum divitias, sed sinceras lacrymas. Apage ergo Pontificios cum suâ pecunia & pretio!

2. Usus. *Consolatio.* Egregia hic emergit conso- latio pro pauperrimis animabus, pro illis, qui cum ad S. Convivium se recipiunt, nullos prædicant spi- rituales bonorum operū thesauros, nullum pretium, nullum meritum. Qui advolant ad sacras epulas, ut pauperes ad divitium mensas, absque pecunia & pretio. Quid enim doni daturi essent omnium rerum dato- ri, & muneris omnium rerum remuneratori? S. Cœ- næ ipsius cum accumbis, nullam exigit à te pecuniam, sed famelicam animam, Ps 81. *Luc. i.* Nullum pretium, sed fidei os, oculum, manum & stomachum. Ut Reges sine pecunia & pretio pauperes lautè tractant: ita & hic Rex Regum, te pauperrimam animam liberalis- simè tractare gaudet, *Luc. 14.* Accurre, accurre ergo & absque pecunia ad hanc S. Cœnam afflicta & egena anima,

anima, quid trepidas? III. *Res ipsa.* Observetur  
hīc quod illa sit duplex:

I. *Reficiens.*

II. *Nutriendis.*

**I. Reficiens Vinum.** Non omnis omnibus arridet potus: unumquemque hīc sua trahit voluptas. Alium juvenes potum, alium senes haustum desiderant. Unus hoc, alter illo delectatur potu. Alii enpiunt potari, alii gestiunt exhilarari: hisce ergo *vinum*, illis verò sāpe aqua arrideret. Nonnulli sunt imbecillioris valetudinis, & adamarent *vinum*: alii firmioris valetudinis, & flagitarent cervisiam. In spiritualibus & diversus animadvertisit appetitus, diversus cernitur defectus, diversus quoque à Christo offertur potus. *Vinum* comparete. *Vinum*, mei communionem; *vinum*, refectionem; *vinum*, pacem; *vinum*, salutem. Quid *vinum* aquae hīc adjunctum, aliud innuat, quam gratiam cuivis sitientium; in Christo, reficiensem & sufficientem esse ad gaudium, Rom. 14.17. ad spiritualis voluptatis cumulum, plenissimè juxta ac planissimè exhibitam, Psal. 36. Nam summus ille Monarcha Jesus Christus, defæcatę voluptatis & hilaritatis fons, suum convivium volvate & hilaritate etiam perfundit, offerens *vinum* suis convivis, gratiam, lætitiam, amorem, favorem abundantem, corroborantem. O ineffabilem liberalitatem & charitatem!

### DOCTRINA.

*Deus suos convivia laute & læte excipit.*

**RATIO.** I. Hīc sit mentio vini; vino redundans mensa,

mensa, & splendida & gaudio delibuta est.

2. Spiritu sancto, oleo lætitiae illos ungit, & exhilarat; tristitiam illorum omnem expectorat; sedem, voluptatis spiriualem fontem illis donat.

3. Recreat illos moestos, corroborat languidos, sustentat famelicos, ditat egenos.

4. Convivium suum convivis est instar paradisi, ubi omnigenæ animæ deliciæ & lætitiae, recreaciones & voluptates offenduntur; utpote fons omnium amor Dei æternus, Eph. 3.2. Arbor vite Jesus Christus, jucundissimi flores, divinæ illæ amplissimæ promissiones: Herbe corroborantes, consolationes nimis animam restaurantes, Psal. 119.

5. Quare Deus suos non lautè & lætè haberet, qui lætitiae omnis est causa, & bonorum omnium fons perennis; qui non potest exhaustiri, vel exsiccari; ut ille Isaci fons, qui cum benedixerat Jacobo, Hesavo benedictionis rivum communicare non poterat? Gen. 27. 39. 40.

6. Apud Deum abyssus divitiæ benignitatis reperiuntur, quare suos non splendidè tractaret?

1. Usus. *Correctio.* Quām multi proh dolor, inveniuntur, qui hoc *vino*, hāc Dei gratiā, in S. cœna non delectantur. Qui capiuntur *vino* Noachi, quo pudor illorum aperitur, Gen. 9. 21. *vino* Loti, quo incesto corpus polluitur, Gen. 19. 33. *vino* Nabalis, quo anima ratione exuitur, 1. Sam. 25. O *vina* venenata! *vinum* immodicè sumptum mentem corruptit; & amor rerum mundanarum nimius, mundi pernicio-sus, & diaboli carnisque potus, mentem cognitione

rerum divinatum orbat; *vinum* ita haustum, mortbos gignit; & diaboli, mundi, carnisque potus vitia procreat; *vinum* immoderatè adhibitum, calorem nativum extinguit. Mundi potus amorem Dei suffocat. Ite jam & hoc *vino* mundi vos oblectate, si vos ire perditum decrevistis. Nónne præstaret *vinum*, quod Deus hic repræsentat, eligere, gratiam illius, hoc in convivio quærere, quò *vino* vita, & justitia, & gloria vestra sita sunt?

2. Usus. *Admonitio.* Nos, nos, fratres charissimi, hoc *vino* amoris & gratiæ Dei nobis in Christo propinato delectemur. Ut *vinum* moderatè sumptum cor recreat, calorem nativum reparat, appetentiam irritat, crassos humores profligat; ita gratia Dei, in Sacro hoc convivio, est *vinum*, quod cordis nostri est recreatio, spirituum nostrorum corroboratio, amoris erga Deum inflammatio, appetentiæ spiritualium excitatio, pravorum affectuum eliminatio. *Vinum* copiosum sanguinem generat; & gratia Dei in S. cœna, abundantem spem, Rom. 5. procreat. *Vinum* cibi concoctionem promovet; gratia Dei, crucis amaritudinem absorbet, ita ut omnia in alimentum fidei cedant. Hoc, hoc ergo amoris Dei in S. cœna *vinum*, tibi animę tristi sit gaudii procreator, timoris tui profligator, virium languidarum confortator, doloris tui suffocator. Quam felix, fœlix es anima mea, dum hoc Dei gratiæ *vino*, S. in cœna frueris, uteris!

*Audivimus rem reficiētem, percipiamus jam nutritiorem.*

II. *Nutriens Lac.* Non tantūm Deus gestit suos reficer-

reficere convivas, sed & nutritre; idcirco vino adjungit, in convivio suo spirituali, *Lac.* Ut anima suum nō tantum ibi oblectamentum reperiret, sed & nutrimentum; non enim anima tantum debet refici, sed ubertate etiam spiritualium rerum ali.

## D O C T R I N A.

*Deus suos ad vitam eternam sustentat.*

RATIO 1. *Lac* illis præbet quo nutriuntur.

2. Deus vitæ illorum ut est scaturigo, ita est ejusdem sustentatio.

3. Deus vitæ illorum vita, anima est, nam in ipso vivunt, & moventur, & sunt, *Acto. 17. 28.*

4. Deus illis est manna alens, mel reficiens: Deus est illis sicutientibus fons, esfuriensibus penuarium.

5. Nónne ille pastor suas oves, ille pater suos liberos, ille Rex suos subditos, ille Sponsus suam sponsam, ad hanc & futuram vitam, enutritret?

6. Ille suos semper sustentavit, non in rerum tantum abundantia, sed & penuria; non tantum in aula, sed & in caverna; non tantum per homines, sed & per aves, *1. Reg. 18. 6.* non tantum per viros, sed & per Angelos, *1. Rég. 19. 5. 6.*

7. Propterea eanit David, *Psal. 23.* Jehova pastor meus est, non possum egere, *Ps. 27. 1.* Jehova robur vitæ est.

8. *Uſus. Correcțio.* Quām funestus illorum est status, qui inhiant rebus succo alimentari destitutis, ut mundi dapibus, quibus vescentes macrescunt, ut invidi & avari suo exemplo confirmant! Nullum, in mundi & diaboli convivio est *Lac* nutritiens. Non ibi

*lac* suave, sed fel aspidum, *Job. 20. 14.* sed venenum draconum, *Deut. 32. 33.* Non animadvertisit, in mundi epulo, *lac* reficiens, sed interficiens, quale illud erat, quod Jaël Sisseræ offerebat, *Jud. 4. 19.* *Lac*, quo fere in naturam degenerant, ut, de infante, feret cuiusdam *lacte* in silva, enutrito, commemoratur. Quis non evitaret illud mundani convivii *lac*, ovo Basilisci haud dissimile, ex quo qui comedit moritur, *Esa. 59. 5.*

2. Ursus. *Admonitio.* Hoc *lac* jam appetamus, quod Deus nobis in sacro suo exhibet jam convivio. *Lac* infantem nutrit; merita Jesu Christi te, ô anima, *S. in Cœna*, nutriunt. *Lac* colorem exoptatum & gratum corpori conciliat: amor Dei in *S. Cœna* cordi colorum & calorem comparat. *Lac* sitis ardorem extinguit, *Jud. 4. 19.* Gratia Dei furorem & temptationis ardorem interimit. *Lac* confortat: Amor Dei nos corroborat. Quando Deus, ô anima mea, tibi belligeranti corona; tibi cursitanti meta; tibi ploranti lactitia est, nonne *lac* hoc est dulcissimum? *Lac* capræ tabi resistit; sed amor Dei tuo languori sese opponit, *Psal. 103. 3.* *Lac* ovillum pinguefacit; sanguis Jesu Christi, agni illius inculpati, te vera pinguedine vestit & munit. O saluberrimum suavissimi spiritualis convivii *lac*! Beata illa anima est, hoc *lacte* que in *S. Cœna* fruitur, gratia Dei quæ ad æternam vitam nutritur! Hæc sufficient de primo concionis principali membro; Sequitur jam:

### I I. P A R S.

*Saluberrima informatio.* Nota hic:

I. *Correctionem.* II. *Admonitionem.*

I. *Corr.*

I. Correctionem quod spectat; illa respicit, invitatorum;

I. *Divitias.*

II. *Molestias.*

I. *Divitias illorum* quod concernit;

*Cur expenditis pecuniam pro nullo cibo?* O stoliditatem! *Cur expenditis pecuniam,* industriam, sapientiam *pro nullo cibo,* nullo alimento, pro quisquiliis, siliquis; *pro falsis,* fictis; *pro nugis,* fanis? Illis, illis nihil inest alimenti, nihil commodi, pro anima sitiente, esuriente. *Mavultis* vos frustra macerare, quām mēā gratiā saturare? Ego, vos voce, promissis vos allecto, thefauros spirituales vobis præsento, & vos largitatem meam respuatis? Ego vobis pauperrimis gratis omnia offero; & vos rebus superstitionis, ludicris operam & industriam perdatis? Ego sum verē *cibus,* Joh. 6. & vos sudetis in illis, quae ne spiritualis *cibi*, nutrimenti, nomen merentur? Quae hæc est dementia? Extra me, mēāmq; gratiam, opulentiam, *nullus cibus,* *nullum* animæ ferculum, fulcrum excogitari, multò minus inveniri potest.

D O C T R I N A I.

*Boni pastoris est, non tantū virtutes exosculandas, sed & vitia detestanda auditoribus aperire.*

RATIO. 1. Deus non tantū suos edocet facienda, sed & effugienda; non tantū animæ cupedias, sed & quisquiliashic demonstrat; dicens: *cur expenditis pecuniam pro nullo cibo.*

2. Ut Herbarius non tantū medicas herbas, sed & noxias indigit; ita & spirituales hortulani non sa-

luberrimas tantum, sed & venenatas in mundi hosti herbas, doctrinas, indigitent. Ut vigiles in specula non diem tantum albicanem civibus tubae clanger significant, sed & hostem ingruentem prænuntiant, ita & spirituales illi vigiles in civitate Dei, *Eze 3.* non tantum salutis diem civibus suis indicent, sed & adversarios illis insidias struentes, tuba Euangeli detegant. Ut viæ dux non rectam tantum viam premendam, sed & devia devitanda edocet: ita & animalium duces, non rectam tantum virtutis semitam terendam, sed & varios vitiorum anfractus declinandos, demonstrent.

3. Huic sedulò incubuere omnes venerandi illi Patriarchæ, honorandi illi Prophetæ, sanctissimi illi Apostoli, ut illorum scripta satis supérque evincunt.

1. *Usus. Correccio.* Quām plurimi hodie inventiuntur, qui volunt insigniri titulo pastoris, & revera sunt impostores; ductoris, & sunt seductores. Qui illi clamarent; cur expenditis pecuniam pro nullo cibo, cum lanam ovium & substantiam, crumenam auditorum & animam auferre moliuntur? Alii quidem cibum sumendum, sed non fugiendum; medicamentum, sed non venenum, indicant. Alii veritatem, sed non errorem; lucem, sed non caliginem demonstrat: hinc sit, quod miseri auditores pecuniam sæpè explicant pro nullo cibo, nullo animæ nutrimento, pro rebus utilibus & inutilibus, pro Papæ phantasias, & Monachorum ineptiis.

2. *Usus. Admonit.* Boni pastores, Dei nobilissimum exemplum, imitentur. Non tantum cibum luberris-

Iuberrimum, sed & noxiū auditoribus indicent. Ut bonus nauclerus nautis, non tantū blandam aëris faciem, sed horrendum etiam maris furorem, despingit. Ut belli dux, non suis tantū militibus victoriā & prædam, sed & penuriam atque ærumnam etiam proponit: Ita & pastores, navigii Jesu Christi naucleri, agant; perorent ad populum Dei, ei delineantes non tantū grata, & dulcia, sed & ingrata, amara; non tantū cibum arridentem palato, sed & ei displicentem. Ne exponant pecuniam pro nullo cibo; ne pecunia, & animæ jacturam simul faciant; ne paleam loco cibi, frumenti, acquirant.

## D O C T R I N A I I.

*Anima nullis bonorum operum meritis nutrita potest.*

RATIO I. Cur expenditis pecuniam pro nullo cibo.

2. Ut Rex illis aureis suis ferculis; & filius prodigus inventis suis quisquiliis saturari non poterat, *Luc. 15.* ita & anima fictis istis bonorum operum meritis ali nequit.

3. Nullum illis inest pro anima nutrimentum, pro conscientia gaudium; nam illa merita sunt absque succo consolationis.

4. Hinc nata illa Jacobi suspitia: Impar sum omnibus his beneficiis; totique illi fidei quam servito praestitisti, *Gen. 32.10.* & Davidis: Quid est mortalis, quod memor sis ejus? aut filius hominis, quod vivit, quod memor sis eum? *Ps. 8.5.* Esaiæ: sumus ut immundus omnes nos, & sicut panniculus abjectissimus omnes justitiae nostræ, *cap. 64.10.*

I. Usus. Redargut. Quām stupidi & vesani jam

sunt Pontificii, qui maximis sumptibus Jerusalem, Christi sepulchrum, Christi in monte Bethaniæ vestigia eunt salutatum, honoratum, animæ ut sibi comparent cibum; illa ut cibetur; conscientia ut tranquilletur; cor ut recreetur. O dementiam! Cur expenditis pecuniam vestram pro nullo cibo? Quæ uva colligi possunt ex hisce spinis, & ficus ex hisce tribulis, Matth.7.16. & alimonia ex hisce vestris nugis, quisquiliis? Angeli dicebant mulieribus Christum in monumento quærentibus: Quid inter mortuos quæritis eum, qui vivit? Luc.24.5. Ita & vos compello: Cur expenditis pecuniam pro nullo cibo? Quid quæratis animæ vestræ cibum in superstitionum vestrarum monumento? Quid quæratis animæ alimoniam, inter paleam? Ista superstitionum paleam, conscientia vestra non potest, tanquam vero spirituali cibo, saturari, pacari; anima vestra nutrita, refici; cor vestrum gaudio affici; illoque imbui. Quod Deus Judæis omnium est interminatus, hoc vobis etiam continget: Vagabimini tandem à mari uno ad alterum, & Aquilone ad Orientem usque; discurrentes ad pervestigandum verbum Jehovæ, (spiritualem animæ cibum) & tamen non invenietis, nam animæ cibus non est in istis vestris nugis, facetiis, Amos.8.12.

2. Usus. Admonitio. Ne simus hujus dementię ostro perciti, non exponamus pecuniam pro nullo cibo, pro re nauci: sed ad hoc convivium curramus, ubi verus cibus, animæ nimis reperitur alimonia, cordis latitia, conscientiae mellita. Ubi verus est cibus in S. coena; non quisquiliae, sed veræ cupediae, gratæ illæ Euangelij

*E*uangelii uvæ, *Matth. 7.16.* ad afflictum pectus exhibitandum; ficus, ad ægrum sanandum; mala granata, ad languidum corroborandum, *Num. 13.24.* *Cant. 8.2.* ut est adumbratum.

II. *Molestias illorum quodjam spectat. Et laborem vestrum pro re minime saturaturam.* Frustra vos torquetis & maceratis re vili. Hic sudare, laborare, est oleum & operam perdere, littus lavare. Nulla messis hujus feminis; nullus fructus hujus arboris; nulla voluptas hujus laboris vestri exspectanda est. In caelum enim laboratis, si per vestra merita animam vestram saturare, conscientiam tranquillare enitamini.

### D O C T R I N A.

*Operibus bonis non potest fidelis anima acquiescere, ad vitam æternam per illa obtinendum.*

RATIO. 1. *Et laborem pro re minime saturaturam,* tranquillatura animam & conscientiam, salutis in negotio.

2. Illa enim opera justitiæ divinæ opposita nullius sunt valoris, & illius vento, instar paleæ, difflan- tur; & instar ceræ, coram illius igne, liquefunt.

3. Illa imperfecta bona opera, perfectæ; ex parte impura, purissimæ; misera, beatæ; temporalia, æter- næ illius vitæ fontes existere nequeunt.

4. Sunt Dei dona, sunt debita, quæ creaturæ te- nentur creatori præstare, & idcirco vitam æternam promereti non evalent.

5. Nulli sanctorum bonis suis operibus acquie- verunt, & per illa vitam æternam obtinere studue- runt. Illud, Mosis geminationes; Davidis orationes,

Jeremiæ lamentationes; Pauli suspirations, clarissime demonstrant, *Psal. 90. 8.* *Psal. 51. 1. 2.* *Jer. Lament. 1. 2. 2.* *Rom. 7.* Bona opera sunt via regni, sed non causa regnandi. *Bernhardus.* Salvamur non ex operibus, sed ex gratia, *Rom. 11.*

1. *Usus. Redargut.* Quām stolidi jam sunt illi, qui laborem capeſſunt, sudorem effundunt, pro re minime saturatura. *Laborem,* dum ſemetipſos caſtigant, *laborem,* dum Christi crucem (ut ineptiunt) oculatum Jeruſalem petunt; *laborem,* dum cum Rege quodam Polonię, in cilicio, per nivem nudis pedibus curſitant. O stoliditatem! Cue *laborem* vestrū expornitis, cur vos ita defatigatis, pro re minime saturaturas. Licet vobis convivium ſuperſtitionum Pontificiorum, operum illorum ſupererogatorum abblandiantur, *cibus* tamen ibi oblatuſ, eſt *res minime animam* saturatura; *cibique* eſt instar arenæ, quā nullum latitat alimentum; *cibique* eſt instar coturnicuſ llaeilitarum, quas inter dentes illorum adhuc gerentes plaga Dei excipit, *Num. 11. 33.* *cibus* eſt instar panis, cuius baculus eſt fractus, id eſt, qui non saturat, *Ezech. 4. 16.* & *5. 16.* Adhuc *laborem* vestrū pro re tali minime saturatura exponetis? Ut mulier illa in medicamentis nullam ſenationem inveniebat, *Luc. 8. 43.* ita vos in iſtis rebus ludicris nullam ſenationem reperiētis.

2. *Uſus. Admonitio.* Ne exponamus laborem nostrum pro re minime animam nostram saturatura. Deus, in convivio hoc ſacro, ad quod nos invitat, non nostrum laborem, ſed æternum ſuum erga nos amorem; non nostrum laborem, ſed ſuam liberalitatem; non nostrum

*strum laborem, sed filii sui sanguinem, intuetur. Non laboris nostri dignitas, sed amoris Dei largitas has adornavit epulas. Quis nostrum etiam sanctissimorum hoc convivium mereri potuisset, ubi fercula animæ nostre, Christi sunt merita; ubi potulenta, Christi sunt vulnera? David nullo suo labore attigit coronam, 1.Sam.16. ita & nos, nullo nostro labore, pervenimus ad gratię Dei mentam. David illam naectus est divino ex amore; nos hanc adipiscimur divina ex liberalitate, Esa.25.6. labore nostrum exponamus, imo & sanguinem pro Jesu Christi gloria; pro Evangelii doctrina; pro nobili nostra corona; Apoc. 2.10. pro Dei in nobis gratia, quæ animam saturant, latificant, corroborant, Psal.73. & 4. & 27. u. Jam consideranda Dei admonitio, ad invitatos instituta. Ubi observa:*

- I. *Quid faciant respectu consilii divini;*
- II. *Quid faciant respectu boni oblati;*
- I. *Quid faciant respectu consilii divini.*

Nota hic:

I. *Rem. &*

II. *Modum Rei.*

I. *Res, auscultate mihi, auscultate non mundo immundo, sed mihi vestro Deo, non hosti, sed vestro Patri, non diabolo seductori, sed vestro ductori. Auscultate mihi vestro Soli, creatori, gubernatori, defensori. Auscultate mihi, cuius potentiam formati, cuius gratiam ex Aegypto liberati, cuius munificentiam terra Chananæa estis donati. Auscultate mihi, cuius labia spirant salutem, cuius verba afflictis apportant consolationem.*

*Divino mandato obediendum est.*

RATIO. I. *Auscultate mihi.*

2. Homines enim tanquam creaturę, Deo creatori; ut servi, gubernatori; ut liberi, genitori; ut subditi, Regi obedientiam præstent.

3. Dei consilio nihil salutarius; verbo suavius; imperio levius.

4. Mandatorum divinorum obedientia, benedictionum est scatēbra; honoris via; cœli scala; longævitatis causa.

5. Noach hujus obedientiæ illustre est speculum, Gen. 6. 22. Abraham illius est incomparabile exemplum, Gen. 22. 10. Quid referam de Jacobo, hujus obedientiæ magistro; Mose, illius Coriphæo, cuius obedientia admirabilis admirabili à Deo coronata honore.

I. Usus. *Correccio.* Cur mortales, huic Deo summo bono non *auscultatis?* vos *auscultatis* diabolo, mundo, carni, voluptati, qui animæ hostes, vobis convivium non in cœlo, sed in inferno, instruunt. *Auscultavit* Simeon filio Ababi ipsum ad convivium invitanti, & ita transfixus est, 1. Mach. 16. 15. Et vos illis *auscultantes*, infelices infeliciter ultimum vitæ terminum claudetis. Propheta, contra Dei mandatum, *auscultans seniori*, in leonis illapsus est ungues, 1. Reg. 13. 20. 25. Vos contra expressum Dei mandatum, mundo *auscultantes*, 1. Job. 2. in Leonis illius rugientis infernalis ungues ruetis, 1. Pet. 5. Achæan *auscultavit* avaritiei, & lapidibus est obrutus, Jos. 7. 25. Absolon *auscul-*

*auscultavit honori, & perplexæ quercui est affixus,*  
*2. Sam. 18.9. En vobis jam mundi fercula, diaboli bel-*  
*laria, carnis & voluptatis mortifera convivia. In-*  
*felicissimus, hisce qui jam auscultat invitantibus!*

2. *Usus. Admonitio.* *Auscultemus* nos Deo optimo consiliario, patri, luci & robori nostro, *Psal. 27.* Si *auscultandum est* Deo irato, multò magis placato. Si *auscultandum est* Deo vocanti ad ferulam, ad pœnam: multò magis invitanti ad mensam, munificientiam. Enoch *auscultavit* Deo, & assumptus est, *Gen. 5.24.* Et nos Deo *auscultantes*, ab hoc gratię convivio, ad glorię epulum, *Matth. 8.* rapiamur. Noach *auscultavit* Deo, & arca inclusus diluvii furorē lethifetum effugit, *Gen. 6.* Nos Deo *auscultantes*, arca paternę ipsius providenrię inclusi, ex naufragis hujus seculi undis eluctemur, *Esa. 43.* Abraham Deo *auscul-*  
*tans*, *Gen. 22.* maximis opibus ornatus est. Nos Deo *auscultantes*, convivioque suo accumbentes, spiritu alibus in primis opibus beemur. Joseph Deo *au-*  
*scultans*, *Gen. 39.9.* summo honore est affectus. Et nos Deo *auscultantes*, Dei filii appellemur, quā gloriā nulla major si Deo *auscultaremus*, nos in hisce atris calamitatis diebus, S. cœnā favoris divini luce frueremur: Nos in hisce mundi concussionibus, in S. cœna tranquillitatem; nos in hisce armorum collisionibus, in S. cœna pacem offenderemus, festumque nostrum in lætitia celebraremus.

I I. *Modus rei. Indesinenter.* Semper meo pendeat ab ore, salutis veluti fonte. *Indesinenter* mihi aures, animę vestre jannas præbete patulas, verba vitæ

mea

mea per illas animam vestram ut intrent. *Indesinenter aures vestre mihi sint reseratae, & serpenti isti obturatae, ne illius sibilus cor vestrum petat & impedit, variisque in errores abripiat.* Si enim tantillum aures vestras à me vestro duce ad seductores, à me vestra salute, ad istas pestes ; à me vestra veritate, ad istas vanitates vertetis, bona vestra evertetis : nam aetum brevi erit de anima vestra, de alimonia vestra, de vita vestra, de lætitia vestra.

## D O C T R I N A.

*Semper pii Dei consilio obtemperent.*

RATIO. 1. *Indesinenter auscultate mihi,*

2. *Quia piorum felicitas, prosperitas, delectatio & glorificatio, in hâc obedientia radicatae sunt,* *Psal. 81. Deut. 28.*

3. *Ut cuncta sui sustentatione indigent : ita pii Dei consilio.*

4. *Ut mundus Sole carere nequit : ita pii Dei dum suasu destitui nequeunt.*

5. *Ut unum quodque illud appetit, quo sui nititur conservatio : ita pii semper affectent hanc obedientiam divini consilii, qua cardo illorum salutis vertitur.*

6. *Ut ingenui liberi semper piorum parentum ab ore pendent : ita pii semper pendeant Dei à suas.*

7. *Qui Deo non semper obtemperat, ille inobedientiae macula aspergitur ; ille poenis divinis involvitur ; ille radiis benevolæ Dei faciei orbatur,* *Ez. 59. 2.*

1. *Usus. Correctio.* Ah quam multi sunt qui a tempore saltem Deo auscultant, ut Saul ille Rex ! Qui similis

similes sunt, in obedientia Deo præstanta, rori matutino *citò evanescenti*, *Hos. 13. 3.* Arcui fallaci, arcui extenso *citò resilienti*, *Hos. 7. 16.* Qui auscultant Deo, ipsiusque suuntur convivio, hora prospera, læta, sole benedictionis divinæ illis splendente, re illis ex voto fluente: sed hora luctuosa, aspera, spirantibus horrendis istis persecutionum procellis, quā longissimè sc̄ ab hoc spirituali epulo remotos exoptant. Qui Deo *indesinenter* quidem *auscultant* vocanti ad læra tragemata; sed non ad lacrymarum fercula, de quibus *Psal. 42. 4.* extat: vocanti ad calices vini lætitię ebibendos, sed non ad utres aquā tristitię replendos, quorum mentio fit, *Psal. 56. 9.* Arrident illis spiritualia, in hoc S. convivio, fercula, sed illorum condimentum, utpote crux, illis displicet. Gratus illis est agnus Dei macratus, in S. cœna oblatus; sed amaras huic *adjunctas* afflictionum herbas fastidiunt, *Ex. 12.*

2. *U s u s. Admonitio.* *Indesinenter, indesinenter* Deo nostro *auscultemus*, ut consolationum ipsius lagena in S. cœna nos reficiant, *Cant. 2. 5.* *Indesinenter* Deo *auscultemus*, ut ex Christo, illa salutis pētra, *Deut. 32. 15.* aquæ vitæ, in S. cœna, ad animam nostram, fluant, *Joh. 6.* *Indesinenter* Deo *auscultemus*, non tantum nos ad dapes, sed etiam ad afflictiones; non tantum nos ad suavissima bellaria, sed etiam ad amarissima tormenta; non tantum nos ad mensam, sed etiam militiam; non tantum nos ad convivii sui mel, sed etiam ad mundi fel, vocanti, invitanti. *Indesinenter*, inquam, Deo *auscultemus*, non tantum nobis pañem, sed etiam fustem; voluptatem, sed etiam acerbitatem

tatem offerenti. Nos enim ipsius convivę sumus illi, quibus Deus aperuit oculos, (ut olim Bilham de se affirmabat ) *Num. 24.3.* ita ut in tenebris, lucem; in afflictione, salutem; in adversitate, prosperitatem intueamur, cantillantes cum Davide, *Psal. 23.6.* Nil nisi bonum & benignitas prosequentur me omnibus diebus vita mea. Sed audiamus:

**II. *Quid faciant respectu boni oblati.*** Observa:

I. *Quid faciant.*

II. *Quid inde acquirant.*

I. *Quid faciant.*

**C**omedite bonum. *Mea bona non vestro tantum visui contemplanda, sed & gustui examinanda offeruntur.* **C**omedite, gustate, ô mortales, quam bonus, quam benignus erga vos indignos, ingratos, ignavos sumus! **C**omedite bonum, relieto diabolo, contempto mundo, cum nugis & vanis, cum fucis & tricis. Nam quid boni, quid solidi hisce caducis: quid boni, quid solatii hisce fictis: quid boni, quid gaudii hisce superstitionis: quid boni, quid nutrimenti hisce glumis: quid boni, quid pretii hisce vilissimis inesse potest? **C**omedite bonum, quod vobis præbeo: *bona hīc omnia; bonum solatum, bonum pretium, nutrimentum bonum, oblectamentum bonum.* Quād *bona* mea vulnera, mea merita, quae sunt pacis causæ, salutis viæ!

**D O C T R I N A.**

*Deus eximia suis largitur beneficia.*

I. **R A T I O.** *Comedite bonum, bonum, inquam, comedite, gustate, in succum & sanguinem redigite. Bonæ, egregia illi sunt, quæ vobis hīc exhibeo.*

2. *Qua-*

2. Qualis fons est talis rivus; qualis arbor, talis fructus. Ita qualis est Deus, talia & ejus sunt beneficia. Ipsa qui est præstantia, pretiosissima; munificencia, maxima; opulentia, uberrima suis donat bona.

3. Liberalitatis ipsius Sol, in opere creationis, redemptionis, gubernationis, clarissimè splendet erga suos.

4. Quam præclara in electos & dilectos suos effundit beneficia! Quam eximia illa est fides, quam bean-tur; Spes, quam nobilitantur; patientia, quam armantur? Rom. 5.

5. Verbo suo lactat illorum animam, *Psal. 119. trans-quillat conscientiam; dissipat tristitiae nebulam, Psal. 30.6.12.*

6. Illos lapsos erigit, languidos reficit, famelicos nutrit, *Psal. 23.1. & 34.10.*

1. *Usus. Correctio.* Paulus exclamat; ô amentes Galatae! quis vos fascinavit, ne obsequeremini veritati? *Gal. 3.1.* Sed mihi jure etiam erit exclamandum: ô mortales! quis vos fascinavit ne comedeleritis bonum? comeditis malum, quod Diabolus vobis sub specie boni, suo in convivio, recommendat. Quid enim boni, ex mali omnis fonte, prorumpat? Quid boni, ab acerrimo vestro hoste, profluat? Ipsius promissiones, sunt defraudationes: ipsius escæ, sunt tricæ: ipsius rose, sunt spinæ: ipsius mel, est animæ fel: ipsius cibus, est animæ viscus: ipsius tragemata, sunt animæ vene-na. Detestare ergo, ô mortalibus, diaboli convivium, ut detesteris malum, peccatum.

2. *Usus. Admonitio.* Comedamus nos bonum, & in Dei

in Dei amore exultemus: *Comedamus nos bonum in S. cœna, & liberalitatem Dei cum Davide ebuccemus, Psal. 23.* *Comedamus nos bonum, & merita Christi in S. cœna nobis applicemus.* *Comedamus bonum, & credamus Christum hostes nostros infernales debellasse;* Dei amicitiam nobis conciliaisse, *Rom. 5. locum, in cœlo nobis præparasse,* *Joh. 14. 2.* *Comedamus bonum, ore purgato, stomacho fidei præparato, corde humiliato, in S. cœna, ne illud quod bonū est, alias, nostro vitio fiat malum,* *1. Cor. 11. 29.* & quod odor vitæ est, nobis existat odor mortis. *Perciamus jam:*

**II. Quid inde acquirant.** Nota hic:

I. Rem, &

II. Rei Rationem.

**I. Res.** *Oblectet se anima vestra.* Quæ vobis recom mendō, non sunt fragilia, quæ momentaneam hanc tantum respiciunt vitam; quæ labia tantum oblectant, externa recreant, cordis verò penetralia non intant; quæ corpori destinata cum illo intereunt; quæ brevi temporis curriculo deflorescunt: sed mea bona & dona; meus cibus & potus; meum lac & vi num ejus sunt indolis, ut *anima vestra* illis corroboretur, recreetur, cibetur ad vitam æternam. Illa ob lectatio morte non extinguitur, sed acceditur: illa non minuitur, sed augetur: Illa non finitur, sed perficitur, *Joh. 5. 11.* O veram! o solidam oblectationem! Quis illa non capereatur? Quis illius amore non teneretur? Nam, non est oralis, sed cordialis oblectatio; ob lectatio inquam, non labialis, sed cordis hærens intimis: ob lectatio, quæ hæc in vita suam cernit inchoationem, in al-

in altera verò suam reperit perfectionem.

## DOCTRINA.

*Dei qui facit voluntatem, ille invenit voluptatem.*

RATIO. I. Auscultate mihi, & oblectet se anima vestræ.

2. Illa mandatorum Dei obedientia instar arboris fœcundæ, dulcissimos parit fructus, instar fontis scaturientis, melleos effundit rivulos, *Deut. 28.*

3. Quò luna Soli est vicinior, eò luna etiam clarius illius claritate; formosior, illius formositate: Ita pīi, quò magis ad Deum per obedientiam accedunt, eè plus venustatis, voluptatis, lætitiae & gloriæ ex eo in illos redundat.

4. Obedientes, Deus voluptate ingenii humani vim transcendentem, perfundit. Lux illis voluptatis est fata, lætitia illis est nata, *Psal. 97. 11.*

5. Quantà voluptate Patriarchas, Prophetas, Apostolos, & omnes pios replevit! Quanto gaudio. D. Pauli animus fuerit delibutus, apparet! *Rom. 5. 3.*

1. Usus. *Correctio.* Illi hīc merito taxandi, qui nos melancholicos, diabolico tristi spiritu agitatos proclamat. *Anima nostra* semper se in Dei Patris favore, Filii Dei amore, Spiritus sancti consolatione oblectat. Sed vos, vos nunquam fruimini solidā & sincera oblectatione. Ut uxor Samsonis nuptias lacrymis & squalore transigebat, *Jud. 14. 17.* ita & vos epulas vobis à diabolo obtrusas, mœrore consumere cogimini. *Oblectatio vestra* est semen luctus, qui sāpē peccati est fructus. *Oblectationem* vestri convivii excipit horror, *Dan. 5.* Cum illius oblectationem principio na-

scitur mœror. In vestris mundanis conviviis, in ipso  
oblectationis melle, prodit sese tristitiae fel: in ipso vio-  
luptatis condimento, aperit sese angoris acetum: in  
ipso recreationis faccaro, ostendit sese pavoris vene-  
num, quo correpti, cum Belschatzare tremetis, hor-  
rebitisque, *Dan. 5.6.* ô funesta convivia!

2. Usus. *Admonitio.* Oblectet se, fratres charissimi,  
*anima nostra*, in hoc convivio, in hac S. Cœna. Judæi  
olim sese oblectabant in suis festis, in suis umbris; nón  
ne oblectet se *anima nostra* in S. Cœna, in Euangeliū lu-  
ce uberrima? Alii se oblectant in sua hæreditate; ob-  
lectet se *anima nostra* in Jehova prædii nostri portio-  
ne, *Pſ. 16.5.* Alii se oblectant in honore, *Act. 12.* Oblectet  
se *anima nostra* Dei amore. Alii se oblectant rerum  
mundanarum ubertate, *Pſ. 4.* Oblectet se *anima nostra*  
S. Cœnæ voluptate, *Pſ. 36.* Nostro sacro in convivio  
oblectationis sunt lagenæ, *Cant. 2.5.* Quis ergo se non  
oblectaret? Nostro S. in convivio consolationis sunt  
mammæ, *Eſa. 66.11.* Quis ergò hīc se non recrearet? Ob-  
lectatio nostra non est tantum oris, sed & cordis; la-  
bii, sed & animi. Non enim tantum in lingua nostra  
est nata, sed in ipsa *anima* quóque est radicata, *Joh. 16.*  
David dicebat de gladio Goliathi; non est ei similis,  
*2. Sam. 21.10.* Sed nos meritò de nostra oblectatione spi-  
rituali asserimus, non ei esse similem in mundo im-  
mundo. Illa nulli temporum injuriæ exposita est. De  
Salamandra astruitur, quod ipsis rapidis ignis flam-  
mis perstet salva: Sed de *hac anima nostræ oblectatione*  
in S. Cœna affirmari potest, quod ipso vehementissi-  
mo tentationis æstu perseveret illæsa. Oblectes, oble-  
ctes ergò

*Des ergò jam te, ô anima, hac S. in Cœna, gratiæ S. Triunitatis in præsentia, angelorum in corona, piorum in frequentia, spirituali in Musica, usquedum ad cœlestia eucharis cantica. Jam sequitur:*

## II. Rei illius Ratio.

*Pinguedine. Non macræscet anima vestra, ut mundi eduliis, siliquis, sine alimento ferculis. Illa plura promittunt fronte, quām edunt opere. Cibi & potus hīc est quædam forma, ast nulla efficacia. Hinc tetricus sāpē convivarum illorum vultus, lamentabilis vox, querula lingua, anima mœsta. Mera enim hīc se pro anima manifestat macies, ut pallida illorum haud raro clamitat facies: nam omnibus exterratis laboribus, nihil oblectationis veræ, nihil consolationis vivæ adipiscuntur. Vestra anima se oblectet pinguedine, spiritualium rerum ubertate, quām in me deprehendet, qui vitulus ille sum saginatus, *Luc 15.* vobis ordinatus, vobis mactatus, ut pinguecat anima vestra, pinguecat fide, spe, & charitate; pinguecat æterna tranquillitate, voluptate, felicitate.*

## D O C T R I N A.

*Sacrum Convivium rerum spiritualium ubertate diffluit.*

**RATIO I.** Oblectet se anima vestra pinguedine, rerum spiritualium ubertate.

2. Deus est omnipotens, ut possit; benignus, ut velit suis affatim spirituales fuggerere delicias.

3. Si ditissimi homines mare & terram suis apponunt mensis, ita ut quicquid deliciarum aër, quicquid terra, quicquid mare effundit & parit, intuea-

mur. Nónne Deus ille soli cœlique creator, spiritu-  
ale suum convivium, omnigenis spiritualibus deli-  
ciis nobilitaret?

4. *Ubertas hæc spiritualis hujus convivii gra-*  
*phicè depingitur, Esa 25. Cant. 5. Ps. 23. & 36.*

1. *Usus. Correctio.* Quām fatui illi jam sunt, qui  
hoc *pingui* convivio relicto, diaboli maculentissimis  
dæpibus assident. Quæ in rerum bonarum penurij,  
*pinguedo* spiritualis inveniatur? Aquilarum pennæ  
pennis aliarum avium admixtæ, illas consumunt: ita  
dapes diaboli consumunt vires corporis juxta ac a-  
nimæ illorum, qui illas attingunt. Ut vaccæ Pharaon-  
is tenues, devorabant illas *pingues*, Gen. 41. 4. Ita et-  
iam dapes diaboli tenues, devorant sèpè virtutes non-  
nullorum *pingues*. Aspice semel diaboli convivas;  
examina illorum pinguedinem. Nónne in diaboli  
convivio, avarus tibi appetet macilentus? Nónne  
invidus, tibi assidet exfuccus? Nónne ambitiosus è  
regione locum obtinens, conspicitur Monogram-  
mus, sive extenuatus? Nocte enim diéque illi se ma-  
cerant & lacerant curis. Nullum in virtute & pie-  
tate profectum faciunt, qui vera animæ est *pinguedo*:  
idecirco spirituali macie interibunt, si cum prodigo  
illo macie pellucente, mature patris ad ædes, ubi vi-  
tulus ille laginatus, ubi Christus maëstatus est, non  
remigraturi sint, Luc. 15.

2. *Usus. Admonitio.* Ad hoc jam convivium pro-  
peremus, ubi *anima nostra pinguescit*; *pinguescit* donis  
& bonis benignissimi; *pinguescit* gratia Dei, *pingue-*  
*scit* meritis Christi. Ubi fide *pinguescit*, spe *pinguescit*,  
charitas,

charitate pinguescit. Quando in S. Cœna, spirituali isto convivio, percipimus, Deum nostrum esse Patrem, Christum fratrem, Spiritum S. consolatorem, nōnne pinguescit tum *anima nostra*? Quando ibi accipimus peccatorum remissionem, spiritualium bonorum ubertatem, crucis contra dolorem consolationem; nōnne pinguescit tum *anima nostra*? Justa pinguedo corpori parit venustatem: Immensa Dei misericordia gignit animæ nitorem. Pinguedo regit corpus: gratia Dei munit animam. Pinguedo à nobis prohibet aëris injuriam: benignitas Dei in spirituali convivio, ab anima arcet tentationis violentiam. Pinguedo humectat corpus: charitatis Dei flumen, humectat, irrigat animam. Pinguedo corpus emollit: beneficiorum divinorum ubertas animam nostram ad deplorandam ingratitudinem emollit. Felicissima anima mea, dum te cblectas hâc pinguedine in S. cœna. Hæc sufficient quoque de ultimo membro. *Audivisti:* I. *Jucundam invitationem.* II. *Saluberrimam informationem.*

## E P I L O G U S.

*David dicit Psal 34.9. Gustate & videte bonum esse Jehovam.* Hoc textus enucleati est nucleus, enarrati scopus. Ita & jam vos meritò compello: *Gustate & videte quām bonus est Jehova,* qui vos miseros ad beatitudinem, ad spiritualem voluptatem, ad mensam, ad amoris sui opulentiam vocavit, invitavit, instimulavit. Ad hæc non impulsus fuit vestrâ nobilitate, quia ignobiles; non vestra virtute, quia peccatores; non vestrorum nummorum ubertate, quia paupe-

res eratis. Non vestram hic desiderat *pecuniam*, sed suam demonstrat munificentiam. Nullum hic valet meritum, quia amoris sui offert *vinum*. Non hic bonorum operum requirit seriem, sed animæ vestrae gratiæ suæ objicit *pinguedinem*. O beatos vos, ad hoc spirituale Dei convivium, *absq; pecunia*, *absque bonorum operum jactantia*, ad *comedendum & bibendum* confluentes! Benignissimus Deus, vobis, suis convivis, *cibum* salutis, *potum* pacis, *lac gratiæ, pinguedinem* lætitiae, *animæ vestre* porriget; & vos tandem ab hoc convivio ad cœlestè evehet, vos *lacte amoris* reficiet, voluptatum rivulis perfundet, fructu arboris vita pingue faciet. Ad quod epulum vos & me ducat dux noster Jesus Christus, cui cum Deo Patre, qui nobis hoc convivium præparavit, & cum Spiritu S. qui nos ad hoc vocavit & aptavit, sit laus honor & gloria in omnem æternitatem, *Amen, Amen, Amen.*

## C O N C I O V.

T I T U L U S.

Dei hinc altitudo, humilium est  
consolatio.

T E X T U S. Esa. Cap. 57.

Vers. 19. Nam sic ait sublimis & elatus, cuius nomen est inhabitans æternitatem, & sanctus, qui in sublimi & sancto habito: etiam cum eo qui attritus est demissusque spiritu, habito, ut vivum conservem spiritum demissorum, & vivum conservem animum contritorum.

EXOR-

**L**egati, ritè officio, re in ardua maximique pondēris negotio, nomine Regis sui, ad subditos perfuncturi, illius majestatem, dignitatem, solium, animumque ejus benevolum, illis insinuant, inculcant, ut illorum animis debitus honor, sincerus amor erga Regem, nascantur; & Rex illos vicissim favore suo prosequatur, robore suo tueatur. Hoc legati Regis illius Regum, Prophetæ, Apostoli suo exemplo ad umbravere: Illi maximi momenti in negotio, solum incolis, cœli subditis, Dei maximi Monarchæ majestatem ineffabilem insculpere, thronum incomparabilem imprimere, strenuè sudarunt, ut animis illorum verus timor, infucatus amor, erga hunc Deum, Regem Regum, procrearentur; & ut, vice versa, Deus suis subditis, rebus in asperis, perfugium; persecutum in æstu, refrigerium; in ludibrio, gloria; in bello, victoria; in mœrore, consolatio; in languore, corroboratio esset. Hujus rei nobile, verè nobilis ille Prophetæ Esaias, hoc textu exprimit exemplum: Nam animis Israélitarum, Dei gloriosissimi & altissimi splendorem, & sanctitatem; majestatem, & benignitatem, divino suo penicillo, graphicè delineare fatagit, ut illis Dei timorem, juxta ac amorem, illorum ad humilitatem, voluptatem; illorum ad pietatem, felicitatem, instillaret. Nos jam invitati ad splendidissimi hujus Dei splendidum convivium, Dei splendorem, & majestatem; Dei potentiam, & clemenciam, ad nostri demissionem & prosperitatem, meritò trutinemus, ut digni convivę hujus convivii æstimassemur,

memur, gratiâ illius recreemur, potentia illius corroboremur. Cuncta rito ut peragantur ordine, duo eventilanda: Quomodo Deus describitur;

## P A R T E S.

I. *A Proprietatibus.*II. *Ab habitationibus.*

## V O T U M.

Fac, ô altissime, ut coram te summo, in humilitate; coram te sanctissimo, in puritate, ad animi nostri demissi exaltationem, ad animi nostri contriti refectio nem, ad benignitatis tuę celebrationem. Amen, Amen, sublimissime Deus, Amen.

## I. P A R S.

*Descriptio Dei à certis proprietatibus.*

Notetur hic;

I. *Dei dignitas.*II. *Dei durabilitas.*III. *Dei puritas.*I. *Dei dignitas.*

Observetur hic:

I. *Præparatio ad illam dignitatem.*II. *Dignitas ipsa.*

I. *Præparatio ad illam dignitatem.* Nam sciat: Non autumetis, ô afflicti, & plagiis divinis ferè fracti Israëlitæ, me hosce ad vos instituere sermones, ad mœsta vestra corda solatio imbuendum, gaudio perfundendum: *Ipse Deus cœli, soli, salique creator & gubernator, populi sui contriti curam gerit; oculo benigno illum aspicit; scuto firmissimo defendit; solatio suavissimo reficit,* Esa. 49.13. *Ipse Deus, ô Israël, qui te tot mileriis*

miseriis extricavit; qui te tot bonis accumulavit; qui te s̄apē tot victoriis nobilitavit; *ait*, te alloquitur; non in irā, sed gratiā; non in maledictione, sed benedictione; non ad te mulctandum, sed recreandum. *O suave alloquium, suavissimi!* hujus sermones, meræ recreationes; hujus verba, cordis sunt remedia; hujus colloquia mœstæ animæ sunt fulcra.

## D O C T R I N A.

Percipitis hoc auditores, *Fideles Pastores Dei sunt os.*

R A T I O I. El̄ias loquitur, & tamen dicit: *Sic ait Deus.*

2. Illorum os, est Dei os: illorum penna, Dei pena: illorum lingua, Dei lingua, quatenus ritè divino munere funguntur.

3. Spiritu Dei acti, agunt, 2. Pet. 1. 21. impulsi impellunt, docti docent alias, Joh. 14. 26.

4. Suggeruntur illis, à Dō, loquenda, Joh. 14. 16. ad correctionem, ad admonitionem, ad consolacionem, 1. Cor. 14.

5. Ut Legati, non è suo pectore, sed Principis ex ore, cuncta proferenda hauriunt; ita & ministri, non suo è cerebro, sed Dei ex mandato, omnia propo- nenda depromunt.

6. Maria ita servos Architriclini compellabat: Quæcumque dixerit facite, Joh. 2. 5. Quæ Dei servis mandata, illa peragenda, illa Dei populo insculpenda, illa urgenda.

7. Samuel, ille juventutis piæ flos, Deo vocanti respondebat: loquere Domine, servus audit, 1. Sam. 3. 10. Illi ministri, Deo loquente, audiunt, illūdque mundo aperiunt.

8. Hinc

8. Hinc illa Prophetarum sata : Ita dicit Jehova,  
*1.Sam. 10.18.* Hinc illud Christi effatum : Qui vos  
 audit, me audit, *Luc.10.16.*

1. *Uſus. Correſtio.* Quare, mi homo, ministros  
 convivii ſacri, ob fragilem illorum naturam, con-  
 temnis? Quare illorum colloquia rejicis? Ne quidem  
 perponderas ministrorum *labia*, Dei eſſe, in ſacris  
 peragendis, *labia*! Illorum effata; ſæpe eſſe oracula!  
 Quando clamitant veste nuptiali deſtitutos, *Matt. 22.*  
 iñſtar ſuum pollutos, *Matth. 7.* Oleo fidei carentes,  
*Matth. 25.* mundo immundo adhærentes, *Luc. 14.24.* ſa-  
 cram coenam non g��uros, iſum *Jehovam* ita cla-  
 mitare certo certius statuas. Quando ajunt; indignos  
 reos fore corporis & ſanguinis Iesu Christi, ad con-  
 demnationem, *1.Cor. 11.* *Iſum Deum* illud aſtruere fir-  
 miſſime credas. Saul, impius ille Rex, Samuelis ver-  
 ba, Dei affata æſtimabat, *1.Sam. 15.24.* & vos, piorum  
 Dei ſervorum, ceu tot Samuelum adhortationes, in-  
 crepationes, conſolationes, ſusque dequé habeatis?  
 Achab, ille Prophetarum Dei perſecutor, *ad Elie mi-*  
*nas*, veluti *ad Dei plagas*, contremiſcens, ſe incurvabat,  
*1.Reg. 21.27.* Et vos ad tot ſervorum Dei increpationes,  
 veluti *Dei Commiſſionēs*, nequidem commoveami-  
 ni? O impietarem! Sed vos tandem convive dia-  
 boli facti; fulmine irati Dei tacti; plagiis diviniſ ferè  
 fracti; cum gemitu & planctu, cum iuſpitiis & lacry-  
 mis, *Deum*, vos, per ſervos ſuos, allocutum eſſe, nolen-  
 tes, volentes teſtari compellamini. O! quam reſra-  
 ctariam veſtram animam, occluſas viſprinas veſtras,  
 ad Dei invitantis tubam, aures deteſtaturi eſtis. O  
 funeraria

funestum vestrum statum.

2. *U*sus. *admonitio.* O charissimi auditores, quæso, vestri ad instructionem, hoc trutinetis. *Nos Dei sumus ministri*, mysteriorum divinorum dispensatores, per quos, veluti legatos, ille soli cœlique Rex, vobis subditis: per quos suos servos, totius universitatis moderator, vobis clientelis: per quos, ut testacea vascula, *2. Cor. 4.7.* ille ditissimus, vobis suis dilectis suum thesaurum offert: per quos, veluti manus, ille sponsus, sacra in cœna, vobis, suæ sponsæ, gratiæ indicium, amicitiæ annulum, repræsentat. Quando illi intonant: aperite cordis portas, ut Rex ille gloriæ intrèt, *Psal. 24.* Aperite cordis januas, ut sponsus ille vobiscum cœnet, *Apoc. 3.20.* Venite ad convivium pinguium, *Esa. 25.6.* Bibite ex fonte voluptatum, hasce cogitationes foveatis: *Deus sic ait*, ut ministrorum suorum sermone, veluti clave, clausa nostra corda aperiantur; veluti malleo, duriora frangantur, *Jer. 23. 29.* veluti igne, impuriora poliantur. *Deus sic ait*: ut ministrorum voce, ceu amoris fune, trahamur, *Cant. 1.4.* ceu voluptatis spiritualis fonte, alliciamur: ceu pietatis calcari, impellamur, ad hasce sponsi nuptias, quibus nostra lætitia & vita; nostra consolatio & beatitudo sita sunt. O felices vos auditores, si *Deo peroranti* patulas & morigeras præbituri estis aures! Si ministris illius concionantibus, veluti *Dei voci auscultaveritis!* Hactenus, auditores charissimi, de præparatione considerationis divinæ dignitatis. Jam *I. I.* Ipsa dignitas trutinanda erit. Illa hisce præposita verbis: *Sublimis & altus.* O majestatem! *Sublimis & altus*

& altus est, ô Israël, Deus tuus, imò altissimus nobilitate naturæ, quâ infinito intervallo, creaturas cunctas, post se, relinquit. Altissimus est, quia ab ipso efficiente summo omnia fluxerunt, & ad ipsum altissimum finem omnia refluerunt. Altus, imò altissimus est, quia ille summum obtinet thronum : ille judex & legislator est supremus, Gen. 18. Psal. 82. Ille Rex est summus, Psal. 75. 95. Apoc. 19. Ille Dominus est absolutus : hujus sublime palatium nullæ bellorum procellæ tangent : nullæ inimicorum machinæ frangent. In illo sublimi throno, radii majestatis, sanctitatis ; gloria, potentiae, Angelis, beatis, plenissime, purissime, radiant, coruscant. Bono ergo sis animo, ô Israël. Sublimis & altus est Deus, tuus propugnator & liberator : sublimis & altus est, calamitates tuas ut aspiciat altus, afflictiones tuas ut dispellat : altus, hostes tuos ut debeat. Hujus Dei altitudo, tua, hisce mæroribus, sit consolatio ; doloribus, refocillatio. Hec altitudo, tuum, hostium contra aestum, sit perfugium ; hostium contra aestum, sit propugnaculum.

## D O C T R I N A.

*Deus dignitate omnia superat.*

R A T I O. 1. Deus est sublimis & altus, cuius longitudo, latitudo, & profunditas est ineffabilis.

2. Dei essentia est dignissima, immensa, Exod. 33. 20. 23. est purissima, sanctissima, Exod. 20. Cuius vita est perennis, 1. Tim. 1. 17. Prov. 8. cuius sapientia est ininvestigabilis, Rom. 11. cuius potentia est insuperabilis, 1. Tim. 6. 15.

3. Quam splendida Dei in omnibus creaturis, est majestas

majestas! Quām *decora* Dei, in omnibus locis, est bonitas! Dei munificentia est instar aurifodinæ profundissimæ, quæ fodiendo non potest evacuari: Dei potentia tanta est, ut nullâ violentiâ possit superari.

4. Dei *dignitas* est incomparabilis: nam charitas Dei, illa regina virtutum, est nobilissima; liberalitas ejus, efficacissima; longanimitas ejus inaudita; suavitatis ejus, plusquam paterna; sanctitas ejus, lucidissima.

5. Dei magnificentia est singularis, benignitas incredibilis, justitia inflexibilis, veritas nunquam deficiens, misericordia cœlum terramque implens.

I. Usus. *Correccio*. Hoc meritò feriat multorum aures juxta ac mentes, qui ad convivium hujus *sublimis*, terrenis affixi cogitationibns, advolant: qui inani arrogantiâ inflati coram *alto*, & *sublimi* comparēt. Si dignitatis ad apicem evecti homines, elatos, superbos ferre nequeunt: quî ille *sublimis*, quî ille stellifero gaudens throno, inani arrogantia turgidos, suo in convivio, toleret? Multi peccatis foedati ad sacram epulum confluunt. Si *alti*, si moderatores alicujus urbis, omnigenis vitiis pollutos, mensâ suâ indignos judicant, & gravissimis sèpè pœnis implicant. Qui Deus *altus* ille & *sublimis* non urbis, sed totius orbis gubernator, suo epulo sacro peccatis infectos dignos judicaret? Nónne gravissimas ab illis pœnas experteret? Illi sibi imaginantur, peccata sua fore occulta, sed ô stoliditatem! Qui in specula aliqua excubias agit, longè, lateque oculorum aciem fingere, hominumque molimina inspicere evalet: multò magis Deus ille *sublimis*, tuas actiones, imò cogitationes tuas penetrat.

penetrat, cui omnia etiam abstrusa sunt perspicua,  
*Heb. 4.* Illa igitur, mi homo, quisquis es, qui hujus ad  
dapes properas, trutina, ne hujus *sublimitas* tibi sit  
terribilis & exitiabilis. Hamani, Regis Persarum *subli-*  
*mitas* erat horribilis. *Esth. 7. 6.* Sed Dei *altitudo* pecca-  
tori majorem incutiet formidinem, quando S. Cœnâ  
privatus, Gehennæ erit immolatus, *Matth. 22.* virore  
gratiæ & spe gloriæ erit orbatus. Ab isto *alto* & *subli-*  
*mi* Deo non amplius in talem peccatorem aqua cog-  
nitionis pluet, nec copia bonæ inspirationis deflu-  
et, ut, in hoc spirituali convivio, pia mens videt. Non  
lucebit tali amplius radius cœlestis luminis; nec fluet  
illi amplius rivus perennis fontis. Nullæ peccatori isti  
erunt divitiæ; deliciæ erunt isti peccatori nullæ: Ærû-  
næ & lacrymæ, angores & dolores, supplicia & tor-  
menta ipsius sunt futura fercula. Ubi nos convivium  
spirituale reficit: ibi illos convivium infernale infi-  
cit: Ubi nos bibimus de deliciarum torrente, *Ps. 36. 9.*  
ibi illi sicut guttam aquæ ex aliquo fonte. Nobis  
rerum desiderabilem erit copia: illis earundem in-  
opia. O triste convivium, æterni doloris fomen-  
tum!

2. Usus. *Admonitio.* Advolaturi, charissimi fra-  
tres, ad S. Convivium, hanc Dei nostri *altitudinem*  
probè, probéque pensiculemus, ut elatum nostrum  
animum retundamus; gemmatam illam propriæ  
justitiæ caudam deprimamus; omnésque elatas co-  
gitationes dispellamus. Si homines, non sine rever-  
entia, ad Regis alicuius properant tabulam: nónne  
nos composito & reverenti animo, advolemus, ad  
spiri-

spirituale Convivium altissimi Monarchæ, sublimitas incomparabilis, & potestatis insuperabilis? Si Esthera se purgabat, ornabat, fragrantiam sibi per bal-  
 samum comparabat, antequam aspectum Regis sub-  
 limis Assueri subiret, *Esth. 2.* Nónne & nostrum cor  
 sit fide purgatum? *Aet. 15.* Nostrum corpus sanguine  
 Christi mundatum? *1. Joh. 1.* stolâ justitiae Christi or-  
 natum, Spiritu, nobili illa unctione, *1. Joh. 2.* inun-  
 dum, quando sublimis cœli terræque formatoris, &  
 moderatoris mensæ accumbere gestit animus? Men-  
 sæ hujus sublimis, ô auditores, assidentes spirituali,  
 spiritualia trutinemus; altitudinem illius adoremus;  
 nihil humile, nihil vile de ipso cogitemus; & nos, su-  
 pra nos ipsos, elevemus; cum muliere istâ, lunam,  
 sublunaria hæc, hæc mundana conculcemus, *Apocal.*  
*22.1.* Alta, perennia, cœlestia trutinemus, *Col. 3.* ut &  
 ipsimet per nostram humilitatem, & fiduciam, in  
 hoc altissimo nostro Deo radicatam, in S. Cœna de-  
 monstratam; sublimes & alti evadamus, aspernantes  
 inferiora hæc, hæc fragilia. Relinquamus illis hæc  
 crepundia, & appetamus nos spiritualia illa fercula:  
 concedamus illis cum prodigo, quisqulias, *Luc. 15.*  
 & sitiamus cœlestes, in hoc convivio, delicias. Inter  
 hæc spiritualia altissimi fercula, illa memorabilia Mo-  
 nicæ exprimamus ore & corde, verba: *Evolementus, e-*  
*volemus hinc:* & cum aquilis sursum feramur in al-  
 tum, *Matth. 24.* ut Christo inseramur, Christo unia-  
 mur, Christo, illiusque sublimi convivio fruamur;  
 ad quod hic armorum strepitus, bellorum æstus; ad  
 quod, inquam, nulla vis nec humana, nec diaboli-  
 ca pertin-

ca pertingere nequeunt. O Deus *altissime*, fac ex animis nostris *alta* amoris tabernacula, & sublimia pietatis templa. Non insimilis affixa sit mens nostra mundi ferculis, sed *altissimis* tui throni bonis, non voluptatibus addicta sit anima nostra mundanis, spinis istis nos pungentibus; sed sublimibus deliciis, epulis istis nos reficienribus, *Psal. 23. 2. & 36.*

3. *Usus. Consolatio.* Huic *alto* & *sublimi* Deo, si fide non dubia, spe non fluctuante, amore sincero timore sancto adhærebimus, nihil est quod extimescamus. In tempestate & calamitate hæc Dei *sublimitas* nobis perfugium; in luctu, & misericordiarum fluxu & fluctu, hæc Dei altitudo nobis portum præbebit. Navis Ecclesiæ Dei, in undis afflictionum decumanis, reciproci, perpetuis, per Dei *sublimitatem*, exceptatam offendet tranquillitatem, in mundi concusione, requiem; in belli furore, pacem, *Math. 8. Esa. 25.* in animi angore opem, *Esa. 43.* *Ille altissimus*, in lacrymarum convivio, nobis erit gaudii cumulus, *Psal. 4.* *Ille altissimus* nobis erit, contra ignita principis acris tela clypeus, *Eph. 6. 12.* *Ille altissimus* nobis erit, contra hostes alto honoris folio gaudentes, *Psal. 129. 6.* nos, nostrumque convivium deridentes, nobis solatii iuris fontem invidentes, triumphus. *Hujus altitudo*, in luctu, nostra erit lætitia; in conflicitu, nostra corona, usquedum ad sublime cœlestis convivium evecti, umbrâ illius tecti; gaudio delibuti, ab omni malo tuti, ubertate illius convivii inebriati, *Psal. 36.* charitate *altissimi* saturati erimus. Quando nobili ista Patriarcharum coronâ, coronatæ à Deo tot bonis cœ-

*nx, Matt.*

*næ, Matt. 8. u. accubituri, illo altissimo fruitur sumus, aspectantes in ipso, ipsam venustatem; gustantes in ipso, ipsam suavitatem, Ps. al. 34. 9. Percepta jam Dei dignitate, observeatur:*

II. *Durabilitas, de illa dicit jam Propheta: Cujus nomen est inhabitans æternitatem. Nomen Dei sæpè denotat ejus essentiam, attributa ejus, opera ejus, verba ejus. Ex hisce prædictis cognitio cōparatur, & ob illa celebratur. Ex hisce gloria elucescit gloriosissimi, & potētia patescit potentissimi Inhabitans æternitatem. Æternus est Deus, non habet principium, successio-*  
*nem, vel finem, Ps. al. 102. 1. Tim. i. Æternus ille seculorum est Rex, qui non subjetat seculis, sed præest seculis, & regit secula, quippe qui omnia secula solus præcessit: quomodo Rex subditis suis non subest, sed præest. Æternus est vester Deus, ô afflicti, & cruce ferè fracti Israëlitæ! Æternus est illius favor, quo vos persequitur; Æternus est illius amor, quo vos amplectitur; Æternus est illius pactum, quod vobis cum pepigit: Æternum est illius brachium, quo vos defendit, quo hostium insultum frangit; quo nobilem vobis triumphum gignit. Sitis ergo, ô pii, & mœsti Israëlitæ, bono animo. Quāndiu, pietas vestra erit infucata, & ita æterna; quamdiu fiducia vestra erit firma, & ita æterna; tamdiu Deus erit vobis æternus Pater, æternus Soter, propugnator æternus, liberator æternus; ita ut in tristitia, lætitiam; in pugna, victoriam; in cruce, lucem; in mœrore, voluptatem videatis & rideatis. O Nomen Dei amabile! ô nomen Dei delectabile! nomen, quod solatii*

est thesaurus: *nomen*, quod gaudii est cumulus: *nomen*,  
quod auxilii est nucleus, pro calamitosis Israëlitis.

## D O C T R I N A.

*Deitas hic stabilitur illius, religioso cultu qui colitur à  
piis.*

- RATIO. 1. Quia vocatur *hic inhabitans æternitatem*.  
 2. Quia *æternitas* est *attributum veri Dei*, *Esa. 40.28.*  
 3. *Ille Deus est verus*, qui Dominus est *perpetuus*,  
*Psal. 93.2.* Rex est *æternus*, *Jer. 10.10.*  
 4. *Ille est verus Deus*, qui fuit ab *æternitate*, ante  
 omnes creaturas, ante montes & mundum, *Psal. 90.3.*  
 ante secula, *Esa. 43.13.*  
 5. *Ille Deus est*, qui primus est & ultimus, *Esa. 43.*  
 Principium & finis: qui est, qui erat, & qui venturus  
 est, *Apoc. 1.*

6. *Ille Deus est*, cuius annorum numerus est in-  
 comprehensibilis, *Job. 36. 26.* Mille anni coram ipso  
 sunt instar diei, *Psal. 90.5.* *2.Pet. 3.8.* Ille est sine omni  
 mutationis umbra, *Jac. 1.21.*

I. *Uſus. Correct.* Quàm stolidi jam illi sunt, qui  
 magis capiuntur rebus caducis, mundi, diaboli peri-  
 turis fucis, quàm æternis bonis lucis: quos magis  
 trahit mensa fragilis, quàm perennis. Ille qui *inhabi-*  
*tat æternitatem*, ad convivium vos vocat, cuius *hic*  
 rudimenta, & ibi in *cœlo* reperiuntur complemen-  
 ta; & vos inhiatis convivio, haud dissimili ricino  
*Jonæ, Jon. 4.7.* exiguo temporis curriculo virenti; a-  
 nimalibus certis, quorum vita solis cum ortu pro-  
 gnata, illiusque occasu animadvertisit exterminata;  
 & convivio Belshazzaris, cuius mel, paucis elapsis  
 horis;

horis, in fel; cuius voluptatem, in hortorem audi-  
stis commutatam, *Dan. 5.* Cur caducam mundani con-  
vivii jucunditatem, æternâ comparatis miseria? Cur  
tanti æstimatis diaboli fercula, quæ ori mellea, cordi  
fellea sunt, & ita vos fallunt; quæ gustū spiritualium  
rerum obtundunt: quæ vos ab æterno convivio ab-  
strahunt? Non gustetis hanc Cœnam, *Luc. 14.* quia  
*inhabitans æternitatem* hæc locutus est; cuius minæ  
verissimæ, cuius pœnæ sunt gravissimæ. Cœlum,  
citiùs periret, quam apex illius increpationum in-  
teriret, *Luc. 21. 33.* Ventorum violentia ædes, quibus  
Jobi filii genio indulgebant, evertebat, *Job. 1. 19.* Ita  
procella iræ divinæ, fragiles convivii vestri ædes, di-  
rueret. Samson, domicilium, quo Philisthæi epicureos  
agebant, fractis illius columnis, frangebat, *Jud. 16. 30.*  
Sed qui *inhabitat æternitatem*, fragilia voluptuosí  
vestri convívii palatia, in momento destruet. Væ,  
væ vobis convivii hujus spiritualis contemptoribus!

2. Usus. *Admonitio.* Affidentes jam hujus æter-  
ni convivio, æterna desideremus; fides nostra non sit  
affixa pani fragili, sed Christo cibo perenni; Man-  
næ isti incorruptibili, de quo si quis edet, mortem,  
æternam non sapiet, *Joh. 6.* Æterna illius bonitate,  
benignitate, veritate, clementia, potentia, justitia,  
nitamur, hæc misericordiarum valle, quam cœnam hanc ce-  
lebramus, hunc cibum agnum maestatum, Jesum  
Christum, amoris crucis herbis, gustamus, nostras  
infirmitates deploramus. Oremus hunc Deum æ-  
ternitatem inhabitantem, ut nostras hasce congrega-  
tiones velit perennare; convivium hoc ad ultimum

mundi terminum continuare, ut æternæ suæ liberalitatis & hic quædam vigeant testimonia, Belgica sua in Ecclesia, quæ hic in obscuru veluti speculo intuemur, in æternitate plenissimè illa contemplaturi, quando convivii spiritualis gaudii serenitas nullis adversitatum nebulis involvetur.

3. Uſus. *Consolatio.* O suavissimam inde efflorescentem consolationem! Ille inhabitans æternitatem, juxta æternam suam promissionem, in convivio hoc sacro animam, ad æternam vitam, pascet; in cor nostrum per fidem apertum se dimittet; jucundam cœnam nobiscum capiet, *Apoc. 3.* in nobis gratiosæ gratiosæ suæ præsentia signa, ostendet, *Joh. 14.* Æternis nos donis & bonis perfundet. Ille æternitatem inhabitans, suam Ecclesiam Belgicam faciet æternam, ita, ut instar montis Zionis sit futura, quem bellorum procellæ non sint profligaturæ: instar domus petræ Jesu Christo innitentis, quam Hispanorum machinæ, & inferorum portæ non sunt labefacturæ, *Matth. 16.* Ille inhabitans æternitatem, lacte & melle verbi sui, hac nobilissima & beatissima sua in Belgica Canaan, nos ad convivium suum amantissem vocatos, recreet; lagenis solatii nos exhilaret, *Cant. 2.5.* & pinguedine amoris sui nos saturet, *Esa. 25.* Ille inhabitans æternitatem, nos suos dilectos convivas evehet ad magnam illam æternam cœnam, quam non Sabbato temporali, sed perenni; non in ignominia, sed æterna in gloria, *1. Pet. 5. 20.* non in ruinosa urbe, sed restaurato orbe; non in vili pago, sed micante cœlo, *Apoc. 21.* ad nostri requiem, *Jer. 6. 19. 1st*

86. refrigerationem, *Acto. 3. 20.* sumus celebraturi,  
 ubi illius opiparæ cœnæ, *Luc. 14. 16. Apoc. 19. 9.* excellentem suavitatem, & suavem excellentiam plenissimè gustaturi, quando edemus de manna illo occulto, *Apoc. 2. 17.* edemus ex arbore illa vitæ in medio paradisi hujus æterni Dei plantata, *Apoc. 2. 7.* bibemus ex fonte aquæ vivæ, *c. 21. 6.* Ad hoc convivium, non pullati, ut sæpè hic, sed albati, *Apoc. 3. 4.* non cruciati, sed exhilarati, *Byssso splendidâ ornati. Apoc. 19. 8.* ad voluntari sumus. *O jucundissimam inhabitantis æternitatem cœnam,* pugnantium coronam; suspirantium lætitiam; laborantium medicinam; mendicantium opulentiam! *Hæc de Dei durabilitate:* jā venit nobis trutinanda Dei.

III. *Puritas. Sanctus. Tripli corona* hic Rex condecoratus fulget: Illius corona micant in cœlo, in solo, & adorantur in toto mundo: illius gemmæ sunt tantæ claritatis, dignitatis tantæ, ut omnium Regum splendorem obfuscent: ut sol, cœli gratissima illa lampas, syderum lucem & splendorem, radiis suis aureis, clarissimis suppressat. Deus est sublimis, est *eternus, & sanctus.* Quis Regum, hosce titulos, jure quodam, sibi atroget? Omnium Regum sublimitas, infirmitatis; sanctitas, impuritatis; æternitas, mortalitatis telis exposita fuit. Ipsis enim animalibus sæpè inferiores, cum Nebucadnetzare; ipsis canibus inferiores, cum Nerone; ipsis floribus fragiliores, cum toto humano genere, extiterunt. Hujus vetere Regis Regum sublimitas, nullam suppressionem, hujus æternitas, nullam determinationem; hujus sanctitas nullam contaminationem admittit, novit. Hic

jam *Sanctus*, ô afflicti Israëlitæ, vester Deus, vestra *sanctitatis*, conversionis; vestræ *sanctitatis*, orationis; vestræ *sanctitatis*, humilitatis, erit memor. Memor erit, inquam, *sancti* vobiscum initi fœderis: *sanctæ* vobis commissæ legis; *sanctæ* vobis datae permissionis. Et *sanctus* ille Deus, populum suum *sanctum*, contra *sanctitatis* suæ derisores; contra *sancti* sui templi profanatores; contra *sanctæ* suæ civitatis devastatores, est strenuè defensurus; & solem *sanctitatis* suæ nebulis, contumeliis propudioſarum gentium obscurari diutiū non est permissurus: sed *sanctitatem* suam populo suo in *sancto* propugnando, liberando, victoriis coronando, beneficiis variis ornando, toti mundo venerandam, adorandam, formidandam, est aperitus.

### D O C T R I N A.

*A Deo omnia culpa mala procul removenda sunt.*

RATIO I. *Sanctus* hic Deus vocatur.

2. Ipsius natura purissima, in qua ne minima quidem excogitari potest impuritatis, vitiositatis umbra.
3. Omnia Dei opera & verba; beneficiorum fulmina, & suppliciorum fulmina; consolationes & objurgationes, nihil aliud clamitant & confirmant, quam ejus bonitatem & puritatem.

4. Ipsi angeli, cœli ipsi Deo æquiparati, ne puritatis nomen, vel *sanctitatis* omen demonstrant, *Job.15.5.*

5. Hanc puritatem ipse Deus sibi vendicat, *Levit.11.44.* Hanc populo suo inculcat, *ibid.* Hanc ipsi Angelorum chorus assignat, *Esa.6.*

6. Impuritatem Deus odit, *Pſal.5.* impuros canes palatio

palatio suo excludit, *Matth. 7.* Et in hoc vitæ curriculo pœnas de pollutis sumit.

I. U s u s. *Correctio.* Utinam omnium aures & animos hoc circumsonaret, sed eheu! quanta illorum est seges, qui hanc sanctitatem sanctissimi Dei, ne semel, sacrum ad convivium advolantes, animo circumvolunt. Illi coram sanctissimo hoc Deo, sine sancta, nuptiali charitatis veste; sine sancta, delectabili cordis præparatione; sine sancta, desiderabili oris mundatione, comparent. Illi sancti hujus verbo, ad palliandum peccati deformitatem; & sancti hujus convivio, ad occultandum animi malignitatem, nefariè abutuntur. O scelus! O dedecus! *Sanctitatis* illa veneranda instrumenta, & ornamenta, vobis impuritatis detestanda sint nutrimenta & fomenta? Si vir honestus impura devitat lupanaria; multò magis *sanctitas* ipsa fœda effugiat corda. Nulla familiaritas erit *sanctitatis* cultori, cum impuritatis cumulo; *sanctitatis* fonti, cum iniquitatis throno; *sanctitatis* soli, cum fœditatis monstro. *Impuros* ad agnum paschalem festinantes gravissimo *sanctissimus* mactabant supplicio; qui ergò vos, vos, inquam, Diaboli & peccati cloacæ ultricem Dei effungiatis manum? Duo Aaronis filii horrendam Dei incidebant pœnam, ignem ob alienum altari impositum, *Lev. 10. 2.* Quas de vobis non expetet pœnas, impurum ob pravatum cupiditatum ignem, cordis vestri altari immissum? Qui impuras olim detestatus est domos: quî ille non detestaretur pollutos vestros animos? Qui immunidos, læprosos populi sui procul ire iussit à congrega-

184 DE SACRA COENA  
tione, *Levit.* 13. & 14. *Deut.* 24. 8. 9. qui ille *sacerdos*, vos  
non tandem arceat à S. conv. vii sui celebrationē? Quibus jam aures sunt ad audiendum hæc, ad vitæ  
emendationem, & ita munditiem, audiant!

2. *Usus. Admonitio.* Dietum sit nobis hoc o-  
mnibus, fratres in Christo charissimi. Trutinemus  
jam Dei, (cujus accumbere mensæ jam gestit animus)  
*sancitatem.* Illius *sancitas* profliget impuras nostras  
cogitationes, juxta ac operationes, ut sol dissipat,  
puris suis radiis, caligines. Ut antidotum venenum  
sæpè ex corpore pellit: ita *sancitas* Dei peccatum  
corde nostro ejiciat. Hujus *sancitas*, sit nobis instar  
spiritualis *manus*, quā ducimur: instar *ignis*, quo ac-  
cendimur: instar *funis*, quo trahimur, ad omnē *sanc-  
tatem*, puritatem. Filius ingenuus patris generosi pre-  
mere gaudet vestigia: cur & nos sanctissimi patris  
vestigia terere non desideraremus? Servi Domino-  
rum mores nonnunquam exprimere solent: cur  
nos *santi* Dei, Domini nostri mores, *sancitatem*, vi-  
tā nostrā adumbrare non eniteremus? Adhanc *sanc-  
titatem*, ille, nos, ab æterno, in Christo, elegit,  
*Eph.* 1. 4. ad hanc, nos vocavit: ad hanc, per Apostolo-  
rum tubam, nos incitavit. Hæc *sancitas* illis præfigu-  
rata deauratis, *Psal.* 45. nuptialibus istis vestimentis,  
*Matth.* 22. decantatis istis ornamentis, *Psal.* 100. *Sancta*  
ore, convivii hujus *santi*, signa manducemus; *santa*  
manu spiritualia hæc fercula arreptemus; *sancus* ocu-  
lis illa aspectemus; *santo* corde illa occultemus. Si  
Joseph, non nisi comptus & mundus Pharaonis subiit  
aspectum, *Gen.* 41. 14. multò magis nos *santi*, munda-  
ti coram

ti coram sanctissimo Deo Symposiarcha prodeamus. Si Pharisæi, non nisi loti, sua quotidiana ad fercula, tendebant, *Math. 15.* nónne multò magis nos purificati, ad sancti hujus epulas, prorumpamus? Si Davidis illiusque virorum vasa pura deberent esse, si panibus propositionis uti, frui affectarent, & *Sam. 21.5.* Nónne sancta sint nostra corda, in quæ sanctissimum Deum recipere expetimus? Si Abraham Isaacum Deo immolatus, pueros ad montis radicem reliquerit, *Gen. 22.5.* Nónne nos peccata, impuritates, in mundi valle, relinquamus, Deo gratum immolaturi peccatum, sacro suo in convivio? Si Moses constrictus esset se discalceare, Deo appropinquatus, *Exod. 3.5.* Nónne nos fœditates, iniquitates omnes exuamus sanctissimi sancto accubituri convivio? Circumcisus Paschali agno vescebantur: nos non nisi circumcisi, sanctificati hoc convivio fruituri. Sanctifica ergo nos, sanctitatis omnis fons, sancto tuo Spiritu, ut sancti, mundi ad te advolemus; te sancto fidei ore gustemus; te, sancto corde servemus, ad laudem tuæ sanctitatis, & fruitionem nostræ voluptatis, in cœna purissima, eterna. Hæc sufficient de Dei proprietatibus; jam contemplemur Dei *Habitationes.*

## I I. P A R S.

*Dei Habitationes.*

*Uæ Habitationes* hîc sunt considerandæ Respectu;

I. Regni ipsius glorie.

II. Regni ipsius gratiae.

I. Respectu Regni ipsius glorie:

Qui in sublimi habito. In sublimi majestatis throno,

ubi

ubi adoror ab Angelorum choro; ubi honoror à beatorum mundo; Ita in *sublimi habito*, ut cœlos & terram impleam, *Jer. 23. 4.* Omnia regam; cuncta nuntiam; regna evertam; eversa erigam; mala in bonum convertam. In hoc *sublimi habito*, ad vos miseriis infinitis evolvendum: In *sublimi*, ad vos honoris in apicem evehendum: In *sublimi*, ad hostes tuos elatos evellendum: In *sublimi*, ad cruci tuæ terminum figendum. In *sublimi habito*, tanquam mundi creator & sustentator; tanquam populi mei dilecti, ab hoste contumeliâ affecti gubernator & propugnator. Quæ humana vis meæ resistat? Quis Regum, mihi in *sublimi habitanti*, vim inferat? Quis, ad meam potentiam, non exhorrefcat? Sitis ergo afflicti, pii Israëlitæ, infracto animo: ego in *sublimi habitans*, vobis gloriae, & hostibus vestris ignominæ sum futurus: Ego, è *sublimi*, inimicos vestros clade sum affecturus: Ego, è *sublimi*, benignitate vos sum prosecuturus. Quid jam dulcius, afflictionis in amaritudine, afflictis enasci potuit Israëlitis? Quid solidius, infirmis oriri potuit Israëlitis, solidâ hac consolatione, crucis profligatrice, lucis procreatrice? O exoptatissimum *Sublimis* alloquium, gaudii defecati principium!

## D O C T R I N A.

*Gloriosissimum, auditores, Deus possidet Palatium.*

RATIO. 1. *Qui in sublimi habito.*

2. Reges sua fæpè palatia, montis in cacumine, curant extruenda: sed hic gloriosissimus, glorioso suo fruitur palatio, in *sublimi cœlo*, admirabili solo, cœlo, inquam, tot astris, veluti fulgentibus facibus, micante.

3. Regum

3. Regum palatia oculis hominum s<sup>e</sup>pè appa-  
rent splendida, augusta; sed quid illorum venustas?  
vanitas. Quid illorum honos? onus. Quid illorum  
nitor? vapor. Quid illorum, inquam deliciae, respe-  
ctu Dei palatii? Tristitia.

4. Thronus Regum, in celso aliquo loco licet-  
sit locatus, horrenda Martis, & vetustatis s<sup>e</sup>eva tem-  
pestas illum vertit & evertit: Sed Dei sublimem sub-  
limi in ccelo, erectum thronum, nullæ belli procellæ,  
seculi sagittæ nullæ oppugnare, multò minus expu-  
gnare evalent.

5. Ampla nonnunquam, in amplissimo hoc re-  
rum theatro, Regum jactantur Palaria; sed quid illa,  
respectu Dei Palatii, propè immensi, obstupescen-  
dam hanc mundi machinam ambientis, & fulcien-  
tis, aliud quām nidi? Quid illorum dignitas? fra-  
gilitas. Quid illorum spatium? Ne quidem punctum.

1. Usus. *Correctio.* Perpauci, proh dolor! hoc  
perponderant. Illi enim ad spirituale altissimi hu-  
jus Dei epulum, corde & ore, manu & gestu indeco-  
ro & imparato. Vestra peccata, hujus ante oculos,  
putatis esse obscura? In sublimi habitat, & videt ter-  
ram, Psal.33. & tuam malitiam, Psal.94. tuam corru-  
ptam viam, Psal.139. tuas cogitationes, Jer.20.10.17. tuas  
iniquitates, Psal.90. Quoniam ille, qui hoc convi-  
vium adornavit, in sublimi habitat, nulla hic tegmina;  
nulla hic vestimenta; nulla hic ferculæ folia, tuam  
nuditatem, tuam pravitatem occultent. Solis, mun-  
di illius oculi, radiis quædam sunt occlusa: Sed in-  
sublimi habitantis oculis omnia sunt aperta, Heb.4.13.

Nox

Nox te privat Solis splendore: sed nulla caligo te se-  
jungat ab habitantis in sublimi lumine. E sublimi coe-  
lo, sublimis ille sua tonitrua producit: & e sublimi suo  
domicilio, in te convivii sui profanatorem, iræ suæ  
edet fulmina. E sublimi sublimis hujus sede, grando  
prorupit Ægyptum vastam devastans, Exod. 9.23. &  
te vanum & profanum è sublimi plagarum grando  
obruet & opprimet. E sublimi illa prodibat manus,  
quæ Bethchemitas arcam Dei irreverentius intro-  
spicientes mactabat, 1 Sam. 6.19. E sublimi & ultrix il-  
la egreditur manus, quæ, te convivii Spiritualis  
conspurcatorem, trucidabit. E sublimi illa proficisci-  
batur manus, quæ impio & impuro Balschatzari  
suum delineabat exitium, Dan. 5.5. E sublimi & illa ad-  
volet manus, quæ refractario, & indurato tuo cordi-  
tuum adumbret interitum. Nam, ô convivii hujus  
nobilissimi ignobilis conviva! hujus in sublimi habi-  
tantis oculum, nec manum ultricem unquam effu-  
gies.

2. Usus. Admonitio. Ad hujus convivium, humili-  
lem ad portemus animum. Quid enim nos sumus,  
respectu hujus in sublimi habitantis? Formicæ sumus,  
Esa. 40.15. Guttulæ sumus, Psal. 103.14. Stercus sumus,  
dedecus sumus. S. coenæ accumbentes, sublimi Dei  
affixa sint sedi mentes. Rerum terrenarum amore  
non abducamus: sed ad sublime cœlum, sublime pa-  
latium fidei alis attollamus; Matth. 24. Ut viator pa-  
triæ desiderio flagrat: ita & in nobis desiderium sub-  
limis Patriæ vigeat, Phil. 3. Ad æternum illud convi-  
vium, quod in sublimi nobili beatorum coronâ, cele-  
bretur,

bretur, suspiremus: *sublimes* illius voluptates affe-  
ctemus: & ut cervus corporales, *Psal. 42.* ita nos spi-  
rituales aquas desideremus, *Psal. 23.* Sponsa per Spon-  
sum, in illius gestit duci domicilium: quantò magis  
nos *sublime sublimis* nostri Sponsi Palatium occupa-  
re exoptemus! *Sublime*, inquam, illud Palatium, re-  
rum pretiosarum gazophylacium, quo mera offendetur  
ubertas, vera invenietur voluptas: quo pingue-  
dine saturemus, quo voluptate inebriemur, *Psal. 36.*  
*Deus in sublimi habitans, è sublimi*, hanc mundi fabri-  
cam, sole suo illustrat: oremus, corde humili, *habi-*  
*tantem in sublimi*, ut radiis S. sui Spiritus, profligatis  
ignorantiae tenebris, mentem nostram illuminare  
dignetur, ut nobilissimi, splendidissimi convivii hu-  
jus spiritualis splendorum, nobilitatem rectè aestime-  
mus, trutinemus, trutinando, amemus; amando, de-  
sideremus; desiderando, arreptemus; arreptando, nos  
saturemus, nos exhilaremus. *Deus in sublimi habi-*  
*tans, è sublimi* orbitarum pinguedine, *Psal. 65. 12.* plu-  
viarum ubertate agrum irrigat, humectat: Supplice-  
mus supplici huic animo, *ut è sublimi*, gratiae suæ flu-  
mine, doctrinæ Euangelicæ rore; cor nostrum irriga-  
re & fœcundare haud dedignetur, ut lætos ipsi fru-  
ctus, pro hoc convivio, animæ paradiſo, proferat.  
*E sublimi*, Israëlitæ, manna illud, sunt nacti: inde &  
Iesum Christum, optimum optimi hujus convivii  
ferculum, præstoletur. Per portam patet alicui ad-  
itus in palatium: Per verbum & sacramenta, veluti  
portas, *sublime* palatium ingredi enitamur, & ibi  
autissimo perenni epulo fruamur.

3. Usus. *Consolatio.* Quamdiu hoc convivio lacrymis & squalore utimur, consolemur nos *sublimi*, & amabili; *sublimi*, & delectabili; *sublimi*, & desiderabili Dei patris cœlo, quod & nos filii: Dei gubernatoris convivio, quod & nos servi; Dei Regis palatio, quod & nos subditi ingressuri, ibique in jubilo & triumpho, magnam, splendidam, lautam cœnam celebratur sumus, *Matth. 8.* Interim nos *sublimis* illius loci primitiis solemur; ut olim Israëlitæ terræ Chananææ oblato botro, & malo Granatis se solabantur, *Num. 13.* Spoliati templis, spiritualis convivii celebrationi destinatis, templum *sublime sublimis* illius Dei affectemus, quod nos afficiat, fulciat: quo nulla vis humana nos excludat: quod humanam vim frangat. Illo convivio nos hostes non magis sunt orbaturi, quam Deum *sublimi sua* arce sunt exturbaturi. Hæc jam de regno potentiae; jam trutinemus; quid de Deo dicitur:

## II. Respectu Regni gratiae. Notetur hic :

I. *Quale illud est in genere.*

II. *Quale illud est in specie.*

I. *Quale illud est in genere.* Et sancto habito, scilicet, loco, cuius meo consecrato; ubi sanctus meus populus confluit; ubi se devotio populi mei prodit; ubi precum vis se exerit. In sancto, ubi florent sancta illa exercitia; ubi vigent sancta illa sacrificia. In tali sancto habito loco, amore & favore, gratia & efficacia; donis & bonis meis. Tali sancto loco, sancto tali templo habito, ut illud oppugnatum defensem; profanatum purgem; deformatum ornem; devastatum reparem.

rem. *Ego habito in sancto illo loco meâ potentia, ad illum protegendum; meâ munificentia, ad illum reficiendum; meâ sapientia, ad illum regendum. Ego habito in illo sancto loco, ut ignis, hostes devorans; ut Sol, hospites illuminans; ut salutis fons sanctos recreans, donis accumulans; bonis ditans. O exoptatissimam, Sanctitatis sanctio suo loco præsentiam!*

## D O C T R I N A.

*Deus amat loca cultui suo destinata.*

R A T I O. I. *Et sancto habito, scilicet loco gratioscè, copioscè.*

2. Nam, tali loco hominum mentes illuminat, ignorantiae nebulas profligat, fide illos nobilitat, spe illos armat, charitate illos coronat.

3. Ut fœderis tabernaculum, Exod. 40.34. & Salomonis templum nube obumbravit, 1. Reg. 8.10. Ita & illa loca suo Spiritu accumulat.

4. Ut olim Obed-Edomi quædes, ob arcem præsentiam, benedictionibus ditavit, 1. Sam. 6.12. Ita, Deus, loca cultui suo consecrata, variis beneficiis ditabit.

5. Ibi vinea, quam irrigat, Esa. 5. quam sole gratiae recreat; quam Spiritus pluvia, & Euangelii rore fecundat.

6. Illa loca Deus tanto prosequitur amore, ut ibi cœcis sit lumen, sitibundis flumen, confligentibus clypeus, esurientibus cibus, ambulantibus via, pugnantibus corona.

7. In ipsis locis, Deus dura hominum pectora emollit, Jer. 23. refractaria flectit, clausa aperit, frigida calefacit.

8. In ipsis locis, Deus, ex lupis, oves; ex aquilis, columbas; ex superbis, humiles; ex impuris, castos, Spiritus sui efficaciam, sapientia efficit.

9. Hinc David: Deus amat sua tabernacula, ubi gloria sua habitat, *Psal. 26.8.*

1. Usus. *Correlio.* Utinam omnes aures habent, ad haec audienda, sacras! Sed multi, eheu! *santum* hunc locum, turpibus suis mendaciis, nefandis homicidiis, abominandis perjuriis, diris blasphemis, jurgiis, calumniis, odiis profanant, accurrunt ad sancti hujus loci *santum* spirituale convivium, ad sanctas illius fercula, absque ullâ prævia probatione, præparatione, purgatione: accurrunt, inquit, ad sancta haec, ut lascivi canes, ut insidiosæ vulpes, ut iracundæ serpentes, ut atrocissimi scorpiones, ut impuris, ut superbæ pavones, ut lupi rapaces, ut ursi voraces, ut tauri petulantes. Si leprosis nullus olim ad *santum* daretur locum accessus, *Deut. 24.8.9. Num. 5.1.2.3. Deut. 23.1.2.3.*

Qui vobis impuris, ad sanctas, aditus erit concedendus. Si aliquis sordidatus honestam incideret congregationem, nonne correctionis hastâ peteretur, vel planè, ut impurus canis, expelleretur? Nonne & Deus vos peccatis fœdissimis diffluentes, sancto è suo loco exturbet? vos, ô impii, ô scelerati, ad *santum* locum, ad *santum* epulum advolatis impuro, & vindictæ cupido corde; impuro, & calumniæ repleto ore; impuris, lascivis lumbibus; impuris, injustis manibus. Nonne, ô vani, & vesani perponderatis, sublimem corda & opera vestra contemplaturum! *santum sancti* sui loci, & convivii

vivii profanationem vindicaturum! *Æternum, æternis vos suppliciis mactaturum esse?* Si Deus Germaniæ, ob propudosam vitam, sancti loci maculam, diras inflxit poenas: num vos impunitos dimittet? Si virenti non pepercit ligno, vobis aridis parcat? *Luc. 23. 31.* Ipsa tandem sancta loca, in cinere & sanguine, plorabunt, & vestra scelera deplorabunt. Væ, vœ tum vobis sancti loci & epuli conspurcatoribus!

2. Usus. *Admonitio.* *Habitat Deus in sancto loco, sanctam ubi celebramus cœnam; sancta ad illum advolemus fronte & mente, veste & voce.* Sanctæ sint nostræ aures, *Prov. 3. 2.* Quibus dulcissima Dei allocquia hauriemus: *Sancti* sint nostri oculi, *Psal. 119.* quibus sacra amoris Dei pignora aspiciemus: *Sancta* sit nostra lingua, *Ps. 39. 2.* qua hospitis liberalitatem evenhemus: *Sanctæ* sint nostræ manus, *Esa. 56. 2. 1. Tim. 2. 8.* quibus sacra fœderis sigilla arripiemus. Nam sancti loci, sancta fercula, ad sanctos pertinent, *Ephes. 5. 25.* ad Dei filios, *Joh. 11. 52.* Pontifex sacerdotalibus ornatus vestibus sanctum intrabat locum, *Exod. 28.* Ita & nos amicti stola sanctitatis Christi, ad sanctum locum, ad sanctam cœnam tendamus. Si candidati Romani dignitates quasdam ambituri, stolis albis micantes, in campum Martium descendebant: quantò magis nostrum erit, ad sanctas sancti loci dapes, candida justitiae Christi veste splendentes, prodire! Si homines ad nuptias mundi, non nisi mundi, tereti, compti, confluunt: quantò magis nos ad nuptias Agni, non nisi ornati confluamus! Devitemus iniquitates, a-

nimi pestes, sanctuarii istas profanationes. Ut nebulæ solis splendorem obumbrant: ita & vitia *sanc*t*is* hujus loci & convivii splendorem obscurant. Pestis inficit corporis membra: sed turpis vita polluit hæc sacra. Fugiamus, fugiamus itaque omnem & mali speciem, *i. Thess. 5. 22.* ut hujus *sanc*t*i* loci, & convivii majestatem reddamus venerabilem, amabilem, desiderabilem. *Audivisti quid de regno Dei gratiæ in genere sit dictum: Audite quid dicetur de illo:* II. In specie. Notetur :

I. *Quomodo illi nominantur*, qui spectant ad regnum gratiæ.

II. *Quare in illis habitat.*

I. *Quomodo illi nominantur*: Observetur; Respectu :

I. *Conversionis.*

II. *Illi fructus.*

I. *Respectu conversionis.* Etiam cum eo, qui attritus est, habito. Cum attrito, qui peccata sua cum tristitia aspectat; illa acerbissimè deplorat; abyssum divinæ gratiæ ardentissimè implorat; peccata malorum, illadē vehementissimè oppugnat; illa studiosissimè, ceu pestem, devitat; vitam juxta legis normam format. Cum eo, qui attritus est, qui peccatorum onere pressus, illo levari; peccatorum ore morsus, illo sanari; peccatorum fœtore infectus, illo liberari, suspiriis & lacrymis, gemitu & planctu desiderat. Quamvis sum sublimis, tamen cum infirmis; sanctus, tamen cum peccatoribus conversis; æternus, tamen, cum infirmis habito. Habito cum attrito gravato, ut cum

nt eum sublevem; cum attrito defatigato, ut illum refocillem; cum attrito enervato, ut illum corroborarem. O jucundam, ô saluberrimam beatissimi cum attrito, cum misero habitationem!

## D O C T R I N A.

*Deus gratiōsē, peccatoribus pānitentiam agentibus, adest.*

R A T I O. 1. Cum eo qui attritus est, habito gratiā meā, & clementiā, auxilio & solatio, corroboratio-ne & refectione.

2. Illi Dei gratiam desiderant; vulnera denudant; medicam illius manum exoptant, *Psal. 32. & 38.*

3. Illi, ut immundi, sanguinem agni illius incul-pati affectant; impuritatem suam deplorant; lacryma-rum rivulis se lavant, *Psal. 6. & 51.*

4. Illis grata est Dei benignitas, *Psal. 103.* Ut one-re prepresso manus auxiliatrix; febri correpto manus sanatrix; alieno ære obtuto, manus liberatrix.

5. Talibus est Deus propinquus, *Psal. 34.19.* Talium Deo sunt sacrificia accepta, *Psal. 51.19.* Tales Deus o-culo benevolo aspectat, *Esa. 66. 2.* Tales Christus beatos pronunciat, *Matth. 5.3.*

1. Usus. Correttio. O deplorandum illorum statum, qui ad sacrum convivium advolant, & no[n] sunt attriti! Nam cum tibi cum Laodicea ingentes imaginariis divitias, *apoc. 3.17.* cum opulentis delicias, *Luc. 6.25.* cum Pharisæo fimbriæs, *Matth. 23.5.* Hocci-ue est attritum esse? Tua peccata cum satagis cum Adamo, *Gen. 3.8 10.12.* cum Saule, *1. Sam. 20.21.* cum Davide, occultare, *Psal. 32.3.* cum Judæis justificare,

*Esa. 58.2.3. Jer. 2.23.* propugnare, hoccine est *attritum esse*? Sine cordis *attritione*, ô peccator, ô vitiorum amator, nullam gustabis, sacra in cœna, suavitatem! *Attritus* enim, ô peccator, & mœstis sacra cœna est lætitia: *attritus*, ægris, sacra cœna est Medicina: *attritus*, abjectis, S. cœna est gloria. *Attritus, attritus*, ob peccata lugentibus, hoc convivium, veræ voluptatis principium, est adornatum, natum, datum. *Attritus, attritus*, Christi vulnera appetentibus, hoc epulum perpetuae felicitatis, primordium, est preparatum, oblatum, donatum. Apagè, apagè, ergò, propriæ justitiae opinione inflatos, à Christi justitia abalienatos, interitui destinatos.

2. Usus. *Admonitio.* *Attriti simus, ô fratres, hisce ferculis, animæ fulcris, uti frui si gestimus, cupimus.* *Attriti, ob peccata afflitti; attriti, ob peccata humiliati;* *attriti, ob peccata onerati simus, Matth. ii. Psal. 51.* Hisce, hisce, inquam, *attritis, esurientibus; hisce, hisce, attritis, sitiensibus; hisce, hisce attritis, elegentibus; maximus, in S. hac cœna, thesaurus; saluberrimus cibus; suavissimus potus est consecratus, ob signatus, præfiguratus.* *Attriti ergò, propriæ justitiae opinione, cum Daniele, simus vacui, Dan. 9. 18.* *Attriti, ob peccata, cum Publicano, simus depresso, Luc. 18. 19. 21.* ô nos, tærque, quáterque felices *ita attritos!* Deus nos mœstos refocillaret; nos depresso allevaret, allevaret, inquam, ad honorem, ad voluptatem desiderabilem, amabilem. *Attriti simus, ita, ut per cordis humiliationem, cor nostrum Deo nostro aperiamus, ut nobiscū cœnet, Apoc. 3. 20. Ps. 24. 7. Attritus simus*

sumus, ut per cordis lacerationem, cor nostrum ipsi offeram⁹, ut illud exhilararet; illud exhilarando, intreret; illud intrando, beet; illud beando, coronet; illud coronando, saturet. O ergo beatos ita *attritos!* se in S. cœna saturabunt; Deum amabunt; cœlum intrabunt; æternam cœnam gustabunt! Quid dulcissimus, ô fratres, hac dulcedine? Nónne hîc suavitas & Ambrosia, voluptas & lætitia? Audito, quomodo nominantur *respectu conversionis*, audiamus quomodo nominantur;

II. *Respectu illius fructus.* Qui demissus est. Qui agnoscens suam vilitatem, coram mea majestate; suam impuritatem, coram mea sanctitate; suam vanitatem, coram mea æternitate, sese humiliat, me adorat, me honorat. Qui demissus est, qui malleo crucis attritus, foco crucis politus, peccata sua deplorat, & gratiam meam implorat. Qui demissus est, qui se coram mea facie prosternit; qui uberrimas lacrymas effundit; qui se cinerem, pulverem agnoscit. Qui demissus est, qui in ipsa afflictionis amaritudine, amoris mei dulcedinem; in ipsa persecutionis caligine, favoris mei solem; in ipso temptationis ardore, roboris mei opem animadvertis, in suspiria talia & lamenta erumpit: O Deus, tu es summus, & nos insimi; tu gloriostissimus, & nos abjecti; tu felicissimus, & nos miseris sumus! Tu ô benignissime Deus, nobis, quos summo jure aquâ extinguere, terrâ obruere, flamma consumere potuisses, pepercisti, plagis nos excusasti, beneficiis nos affecisti. O amore! Quis hæc

trutinans, se coram te altissimo, sancto, aeterno non demitteret, te non laudaret, te non adoraret?

## DOCTRINA.

*Deus humilibus gratiis gaudet adeste.*

RATIO 1. Qui demissus est, ille a me ametur, ille liberetur, ille beneficiis accumuletur.

2. Illi enim ob peccata lugentes, desiderant gratiam; illi vulnera sentientes, affectant medicinam; illi verbera accipientes, ingeminant veniam.

3. Illi nudi, stolam; illi miseri, Dei gratiam; illi elegi, spiritualē opulentiam; illi famelici, S. Cœnam expetunt, *Matth. 15.*

4. Illi oculo venerabundo Dei altitudinem aspiciunt; fidei juxta ac humilitatis pede ad Dei thronum prorepunt; humili ac devoto animo Dei sanctitatem colunt.

5. Illorum cor humilitate præparatum, adornatum, Deo est gratum, *Psal. 51. Luc. 1.*

6. Istos humiles solatio erigit, oculo benigno aspicit, *Esa. 66. 2.* Illis dat gratiam, *1. Pet. 1. 5.* Illis donat gloriam, *Psal. 113.*

7. Misericordiae suæ oleum in humile illud pectricis cor effudit, *Luc. 7.* & publicani humilem orationem, ceu gratum quendam suffitum accepit: & demissum illud Chananæ pectus laude & refocillatione condecoravit, *Matth. 15.* Quid referam de humili illo Patriarcharum Abrahamo, quem Deus rerum affluentia accumulavit? Quid depromam de humili Davide, quem nobili corona coronavit? Quid producam de humili Maria, quam filii sui nativitate beavit?

*I. Usus.*

1. Usus. *Correccio.* Erigite, erigite jam aures, vos, justitiae propriæ, cum Phariseis, crepatores; vos, meritorum, cum Pontificiis, ebuccinatores; vos, virtutum cum Philantidis, jactatores; vos, vos, inquam, qui externè humilitatem tantum præfiguratis; animo intumescitis, S. Cœna dignissimos vos proclamatis. Quid vobis inest doni, absque Dei liberalitate? Quid vobis inest boni, absque Dei benignitate? Deus *demissis* suam cœnam præparavit: *demissis* ibi gratiam suam adornavit. Non *habitabit* in conviviis propriæ justitiae turgidis: Nam, ut vas vento repletum vinum respuit: Ita Deus elatum pectus fastidit, *Luc. i.* Quem admodum nemo aliquem saturatum cibo oblectaret: ita & Deus neminem inflatum convivio recrearet. Si Princeps arrogantem liberalitate sua non condicorat: ita nec Deus superbientem benignitate sua *inhabitat*. Qui Deus Pater, in istis tumidis, in istis superbis convivis *habitaret*: quos odit, quibus resistit? *i. Pet. 5.5.* quos inanes dimittit? *Luc. i. 53.* Qui Filius Dei, humilitatis istud speculum, *Matth. ii. 28.* lillum illud convallium, *inhabitaret* animum fastuosum? *Cantic. 2.1.* Qui Spiritus S. *demissionis* ille procreator; humilitatis ille Doctor, *Eph. 4.2.* *Phil. 2.3.* *habitaret* in conviva superbo?

2. Usus. *Admonitio.* *Demissi* simus convivæ; *demissi*; ita, ut paupertatem, nuditatem, cœcitatem nostram, coram Altissimo hoc hospite, ingenui ingenuè agnoscamus; agnoscendo, deflecamus; deflendo, coram ipso nos projiciamus; ut S. cœnæ accumbeentes, spiritualibus divitiis locupletemur, elegantibus

vestimentis ornemur; acutum cernentibus oculis  
beemur. Demissi simus convivæ, ad gratiæ ipsius  
thronum devoluti, ut gratiæ gratiæ Spiritus sui  
manu nos, cum Ezechiele erigat, *Ezech. 3.* animæ no-  
stræ, cum Zachæo, salutem pariat, *Luc. 19.* afflictam  
nostram animam dulcedine vocis, cum Paralytico,  
demulceat, reficiat, evehat. Simus convivæ demissi,  
abjecti, ut coram ipso pretiosi; *demissi*, parvi, ut co-  
ram ipso magni; *demissi*, nudi, ut coram ipso, in S.  
cœnæ celebratione, ornati prædicemur. Hæc, hæc  
*demissio*, ô fratres charissimi, est verum convivæ or-  
namentum; splendidum convivæ vestimentum; fra-  
grantissimum convivæ sacrificium, *Ps. 51.* Hæc, hæc  
*demissio*, est via, per quam, hic Altissimus, infimam  
tuam animam, introit: est scala, per quam ille Ma-  
ximus parvam in tuam animam descendit: est funda-  
mentum animæ tuæ, spiritualis illius domus, in qua  
ille *Æternus inhabitare* geslit. Abrahamus acceptâ  
de possessione terræ Chananis promissione, indi-  
gnum se colloquio cum Deo instituendo iudicat, *Ge.  
18. 27.* Quid nos jam faciamus, læti latis haurientes  
auribus, quovis melle dulciorem promissionem, *Al-  
tissimum*, possessurum, *inhabitatum demissum nostrum*  
pectus? David admirabundus oculorum acie terram  
habitandam hominibus indignis, à Deo concessam  
perlustrat, & egregio encomio illustrat, *Ps. 8.* Non-  
ne nos admiratione maximâ simus capti, trutinantes  
ineffabilem hunc Dei amorem, quod ille altissimus,  
infimo, purissimus, foedato; æternus, caduco, demil-  
so nostro in pectore, corde *habitat* decreverit? Eli-  
sabetha

sabetha à Maria salutata, in hæc prorumpetbat verba: Vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? *Luc. i. 43.* Quid nos emittamus *demissa nostra anima?* Nónne nobis S. cœnam potentibus erit ingeminandum: Unde hoc nobis indignis convivis, ut *Altissimus nos demissos, miseros, pollutos, inhabitare dignetur?* Erat res haud infimæ admirationis, Deum inter Cherubim statuisse *habitare:* Sed multò admirabilius nobis appareat: *Sanctissimum in demissō, contaminato habitare.* Non in levem admirationem raperetur civis, si Rex ipsi diceret, tuas intrabo ædes, ad aliquandiu apud te commorandum: Quantò magis nos admiremūr, Deum Cœli, Solique formatorem, & moderatorem, Regem Regum in *demissis nobis habitaturum!* Adoramus Dei benignitatem, quod nos, instar pupillæ, custodire; quod nos manibus suis insculpere, *Esa. 49.* quod nos cordi suo imprimere, quod nos Angelis suis protegere, *Psal. 34. & 91.* dignatus sit: Quantò magis osculemur hunc Dei amorem, quod in nobis *demissis habitare voluerit!* O amore! O convivarum dignitatem! O convivii hujus nobilitatem! Liberalissimus ille Hospes, non nos tantum convivas affatim cibat; sed etiam ut dirissimus, in nobis pauperrimis; splendidissimus, in nobis obcuris; ornatissimus, in nobis nudis convivis habitat. Quis hæc capiat? Quis hæc dignè exprimat? Hæc sufficient de hoc membro: Observemus jam;

## II. *Quare in illis habitat.* Nota:

I. *Respectu Humiliū.*

II. *Respectu Tristium.*

I. Respectum Humilium. Ut vivum conservem spiritum demissorum: Id est, reficiam mea gratia; erigam mea potentia; perfundam spirituali laetitia. In bellorum astu, illis refrigerium; inimicorum astu, perfugium; hostium insultu, scutum sum futurus, ne pereant, sed ut vivant, ut vigeant, ut crescant grata favoris & amoris mei sub umbra. Ut vivum conservem, ipsis bellorum flammis, instar titionis; ipsis leonum faucibus, instar auriculae; ipsis naufragis belli undis, instar asperis, eripiam. Ut vivum conservem mea gratia, vita illorum alimonia; mea potentia, vita illorum columnae; mea misericordia, vita illorum scatebra. Ut vivum conservem spiritum demissorum, quos demissos erigam; quos demissos diligam; quos demissos foveam; quos demissos, ut pupillam oculi defendam, *Zach. cap. 2.* manibus meis insculpam, *Esa. cap. 49.* cordis intimis infigam. Quos languidos portem; despectos honorem; oppugnatos libarem. O suavissimum suavissimi alloquium! Nonne hoc demissorum, afflictorum Israeliteorum asylum? Nonne hoc demissorum molestorum Israeliteorum fuit solatium? Maxime. Nihil etenim crucis amaritudine denatis illis animis nasci potuit dulcius.

### DOCTRINA.

Duos ad suos, maximum illorum in commodum venit.

RATIO. I. Ut vivum conservem spiritum demissorum.

2. Reges suos saepè visitant subditos, in illorum damnum; ut illos, vel cum Saule premant; vel cum Achabo vincâ exuant, *i. Reg. 21.* vel cum Nerone extinguiant:

hauriant: sed Deus altissimus & aeternus, potentissimus & purissimus ille Rex ad suos, in maximum ilorum bonum, advolat, ut illos s̄pēnumerō cum Abrahamo dītet: cum Jacobo propugnet: cum Davide honoret.

3. Ubi Deus gratiosē suis appropinquat, ibi gaudii illis Sol oritur: ibi exoptatum illis cum Daniele auxilium nascitur: ibi exsurgit illis cum Zacchaeo beatitudo: ibi emergit illis cum Publicano altitudo, *Dan. 6. Luc. 19. & 18.*

4. Deus ad suos veniens, oculo benigno illos aspicit, *Psal. 10.* sceptro benevolo illos regit, *Psal. 45.* Angelis illos circundat, *Psal. 34.* periculis illos extricat, *Psal. 91.* lenit dolorem; expellit amarorem.

1. Usus. *Correctio.* Non mirum jam multos hujus cœnæ convivas non refici; ilorūmque spiritum vivum non conservari. Quia non sunt demissi, non humiles coram Altissimo, qui superbos deprimit, & demissos evehit. Deus descendit ad illos elatos, non ut vivi conserventur, sed ut iniqui maestentur: non ut vivant, sed ut cum Pharaone, in aquis pereant, *Ex. 14.* cum veste nuptiali destituto, in tenebris fleant. Deus accedit ad illos inflatos, non ut vivi conserventur, sed ut maestentur: accedit, inquam, ad illos ut leo discerpens, *Hos. 13. 8.* ut ignis absument, *Deut. 4.* ut Judex puniens. Quid enim commercii esse potest Altissimo, cum elato pectore, *Sanctissimo*, cum superbia foedato homine; liberalissimo, cum meritorum ebuccinatore? Qui tale pectus vivificæ suæ gratiæ humore repleat, quod propriæ justitiæ liquore abundat? Qui cum

cum illo *habitet*, qui nil præter superbiam spiret? O funestum superbiorum statum! Nihil utilitatis, voluptatis nihil, ex S. cœna, in tales redundet; tristitia mera elatorum Spiritum occupet; ut tandem, spiritualibus dapibus orbati, miseri miserrimè miseria interire cogantur. Qui enim Spiritus illorum *vivus conservetur* spirituali absque nutrimento? Qui *spiritus illorum vivat* absque sua *vita Deo*, qui *vita est vita, & animæ anima est*, *Act. 17. Psal. 27.*

2. *Usus. Consolatio.* O suavissimam inde profluentem consolationem! In vobis, vobis demissis convivis ille *Altissimus*, suo in convivio *habitabit*, ut *Spiritus vestrum vivum conservet*, & voluptate imbuat, *Psal. 36. vivum conservet*, & honore afficiat; *Psal. 91. vivum conservet*, & bonitate repleat, *Luc. 10. Josephus maximo, apud Pharaonem, fruebatur honore, honorabilem ob in se latitantem Spiritum, Gen. 41. Quam gloria, o demisse, erit tua vita, ob gloriosissimum in te habitantem Deum!* Jacobi Patriarchæ anima præ lætitia exultabat ob visum Jehovah benignum, *Gen. 32. 30. Quanto gaudio erit imbuta, o demisse, tua anima, ob Jehovah in te habitantem, tēque benignitate suā coronantem!* *Psal. 103. Non est, o demisse, quod ad afflictionum procellas trepides, nam ille Altissimus te inhabitans vivum tuum spiritum conservaturus est, ut instar petræ, ad procellarum insultum, non concutiaris, sed permaneas æternum Æterni sanctuarium,* *Ezech. 7. 27. Sanctum sanctissimi templum, 1. Cor. 6. gratiosum Sublimis palatium;* ut tibi verisimile, clarissimè, suavissimè, S. cœna adumbravit, significat;

ghificavit, obsignavit. Non est, ô *demiſſe*, quod ad  
haſce calamitatum tenebras exhorrefcas, nam *Elatus*  
ille in te habitans, *vivum tuum ſpiritum*, juxta pro-  
missionem tibi S. in epulo factam, *conſervaturus* eſt,  
iſtar Solis, haſce nebulas crucis diſſipaturus eſt, ut  
deſideratissima tibi exoriatur lux, & acerbiflma tibi  
denaſcatur crux. *Altiffimus* ille in te habitans, *ſpiritum*  
*tuum, demiſſe, vivum conſervet*, quando, ut ignis, cor  
tuum inflammet, *Luc. 24.* ut theſaurus, te ditet; ut  
lux, te recreet, *Pſal. 27.* ne pereas, ſed vireas, ſed vi-  
vas. Ille *ſpiritum tuum, ô demiſſe, vivum conſervet*, & te  
reſicet, ut Pater; te erudiet, ut Magiſter; te deſen-  
det, ut Rex, né crucis pondere atteraris; dæmonis  
tentatione opprimaris; mœroris magnitudine de-  
glutiaris. O ſolidum ſolatiu! ô efficacijſimum do-  
loris antidotum! Nónne hic vera Ambroſia? Nón-  
ne hic verum Nectar? Deliba, deliba illa, *demiſſe demif-*  
*ſi ſpiritus, illiſque te recrea!* *Audiuiſtiſtis* jam quare Deus  
in illis habitat reſpectu *Humiliūm*: audiamus jam quare  
Deus in illis habitat;

II. Reſpectu triftium. Et *vivum conſeruem animum*  
*contritorum*. Novi ego ſapientiſſimus Pater, quid li-  
beri mei efficere: novi ego Pastor, quid oves meæ  
perferre: novi ego imperator, quid milites mei fuſ-  
tinere evalent. Exiguæ, imò nullæ illorum vires ſunt  
ſine mea vi. Idecirco *vivum conservaturus sum animum*  
*contritorum iſtorum*, afflictorum iſtorum, mœſtorum  
iſtorum, peccatorum ob molem; inimicorum ob cru-  
delitatem; bellorum ob diuturnitatem, vires illis ſu-  
ficientes ſuppeditando, crucis amaritudinem edul-  
cando

206 DE SACRA COENA  
cando, hostium turmas dissipando: ut ita illis iterum  
egenis copia; illis contemptis gloria; illis mœstis læ-  
titia; illis victis victoria exoptata, desiderata emer-  
gat, exurgat, ad gaudium & tripudium; ad trium-  
phum & canticum. O amorem Altissimi erga contritos  
Israëlitas!

### DOCTRINA.

*Deus afflita pectora, voluptate perfundit maximâ.*

RATIO. I. *Et viuum conservem animum contrito-*  
*rum.*

2. Bruta qui reficit animalia; nōnne ille reficeret  
Filii sui membra?

3. Qui recreat radiis Solis flores campi; nōnne  
ille recrearet radiis amoris hæredes regni? *Matth. 25.*

4. Afflictos pios afficit gaudio, *Psal. 30.* illos extra-  
hit calamitatis pelago: illos imbuit voluptatis rivo,  
*Psal. 36. 9.*

5. Illorum afflictorum piorum fel, in mel; crucem  
in lucem; *Esa. 54.* fletum, in risum; *Psal. 26.* planctum  
in plausum; *Psal. 30.* verbera, in oscula; suspiria, in ju-  
bila commutat.

6. En tibi, Davidem, Tobiam, Jobum, & alios lu-  
culentos hujus rei testes; qui lætam hanc catastro-  
phen experti, & post nubila, Phœbum: post lamen-  
ta, gaudium nacti sunt.

7. *Usus. Correctio.* Ah, ah! quām deplorandus  
est jam illorum status, qui ob peccata non plorant;  
qui ob irę divinę signa non trepidant; qui nullam  
contritionem demonstrant: nam *animus illorum non*  
*virus conservetur, sed æterna morte mulctetur; non*  
*vivus*

*vivus conservetur, sed sagittis irę divine perforetur;*  
*non vivus conservetur, sed flammis Gehennae excrucie-*  
*tur. Et licet omnia, Diaboli in convivio, palato &*  
*stomacho vestro arrideant, tamen per illa *animus ve-**  
*ster non vivus conservetur, sed suffocetur. Nam omnis,*  
*Diaboli in epulo, luxus, est luctus: omnis amplexus,*  
*mortis est nexus: omnis voluptas, est calamitas: o-*  
*mnia oscula, retia. Non vivus conservetur *vester ani-**  
*mus Diaboli in convivio, nam fercula ejus, sunt vene-*  
*na; condimenta, suffocamenta; cibi, laquei, Psalm. 69.*  
*cibum enim dum capis caperis; ferculum dum de-*  
*glutis deglutiris. Qui *animus vester vivus* jam conser-*  
*vetur per mortis principia? Et quoniam non estis*  
*ob peccata contriti, in solo; conteramini ob illa, in*  
*inferno. O funestum tale convivium calamitatis pri-*  
*mordium!*

2. *U s u s. Consolatio.* O quām grata, pro te *con-*  
*trito, inde prorumpit consolatio!* Quando *Altissi-*  
*mus, hospes tuus liberalissimus, suo in convivio, cali-*  
*cem tuum replet lætitia, Psal. 23. caput tuum innungit*  
*Spiritus sui abundantia; animam tuam coronat suā*  
*misericordiā, Psal. 23. nōnne vivum tum conservet ani-*  
*mum tuum?* Quando te sitientem, sanguine filii sui,  
*potat, te esurientem, carne filii sui, cib. ut, Joh. 6. te*  
*lugentem, dulcedine solatii sui, recreat: nōnne tum*  
*vivum conservat animum tuum?* Quando te maledi-  
*chū, benedictione suā, accumulat: te languidum, cha-*  
*ritate sua, refocillat: te mendicum, liberalitate sua,*  
*locupletat, S. Coena, nōnne tum vivum conservat ani-*  
*mum tuum?* Ô exoptatum convivium, cuius fercu-  
*la, ani-*

Ia, animæ sunt fulcra; cujus condimenta, *vitæ* sunt fomenta; cujus cibus, *vitæ* rivus. Huic qui assidet mensæ; hâc qui gaudet cœnâ, talia effundit cantica: Deus mea est portio, *Psal. 16.* mea consolatio, *Psal. 73.* mea refocillatio, *Psal. 23.* Quid suavius esse potest, ô anima mea, hâc S. Cœnâ, quâ *vita tua est fita?* Edere hâc, est credere; credere est vivere; vivere est beatum esse. Hæc sufficient de ultimo quoque membro. *Audivis Dei descriptionem;*

I. *A suis proprietatibus.*

II. *A suis habitationibus.*

E P I L O G U S.

Sic ait Jehova, cælum ipsum solium meum est, & terra scabellum pedum meorum, *Esa. 66. 1.* Hic est enucleatus nucleus. Cælum cœlorum Altissimi, Sanctissimi, Æterni Dei est thronus, ubi majestatis ipsius radii radiantes Angelis, aliisque beatis clarissimè, charissimè, illorum ad immortalitatem, felicitatem splendent. Terra hujus altissimi est scabellum, ibi etiam habitat in sanctuario, demisso, attrito. O beatos nos, hoc in convivio, infimo siad altissimi cœlestes dapes anhelarem! Fidei alis evolaremus! Majestatem illius adoraremus! Ille Sanctissimus, suo in sanctuario, Spiritus sui præsentia; ille Altissimus, demisso in animo, suâ gratia; ille Æternus, attrito in animo, spirituali lætitia habitaret: habizaret, inquam, in cœlo, Altissimus ille, ad nostri defensionem; in sanctuario, Sanctissimus ille, ad illius illuminationem; in demisso animo, Æternus ille, ad nostri immortalitatem, usque dum nos demissos exalteret; nos afflictos recreet; nos attritos coronet, in cœlo solio ipsius, ubi

is, ubi convivio ipsius fruentes, nos in ipso sumus  
habitaturi, & ille in nobis: una *altitudo*, in altera;  
una *sanctitas*, in altera; una *æternitas*, in altera. Huic  
*Altissimo, sanctissimo, Æterno Deo*, sit laus in *terra sca-*  
*bello* ipsius pedum; & in *cælo ipsius solio*, in omnem *æ-*  
*ternitatem*. Amen, Amen, Amen.

## C O N C I O V I.

T I T U L U S.

Fons Solatii & Gaudii, pro Anima  
afflicta & moesta.

Ex Matth. 11. cap.

Vers. 28. *Venite ad me omnes, qui fatigati estis & onera-*  
*ti, & ego faciam ut requiescatis.*

## E X O R D I U M.

U T in *armamentario*, hastæ hastis; in *herbario*, her-  
bæ herbis; in *florilegio*, violæ violis; in *pharma-*  
*copolio*, medicinæ medicinis; in *firmamento*, stellæ stel-  
lis; in *gazophilacio*, gemmæ gemnis, præstant: ita in  
verbo divino, animæ *florilegio*, *paradiso*, *armamentario*,  
*gazophilacio*, *cælo*, dicta illius, gnomæ illius, veluti  
pretiosæ spirituales gemmæ, luciferæ stellæ, efficacissi-  
mæ medicinæ, acutissimæ hastæ, dispare sunt dignita-  
te & virtute: dispare evidentiâ & excellentiâ. Nam  
Spiritus S. in uno scripturæ loco, clarus & plenus,  
efficacius, & suavius spirat, ad pectora afflicta, sola-  
tio imbuenda; tentata, verbi divini scuto, protegen-  
ga; vulnerata, Gilhadis opo balsamo, sanitati restitu-  
enda, quam altero. Ita, & Christus, ille mundi sol,

uno, fusius & clarius consolationis & refectionis radios diffundit, & spargit, loco, quam in altero: Ille vita fons, suos voluptatis & salutis rivos, hic uberiorus, & suavius parit & emittit, quam alibi. Illud liberum ens entium liberrime agit, utpote gratia sua nemini obstrictum. Optimus ille optimè novit, quid cuique convenit justo tempore; quæ nimirum emplastra vulneri, quæ remedia imbecilli. Hoc dicto, veluti consolationis Euangelicæ nucleo, & centro, Jesus Christus, doctissimus ille doctor, docet suavissimè; amorem suum aperit clarissimè; & mœstos ad se trahit efficacissimè; ita, ut hoc dictum, hæ stellæ, hæ gemma, hæ herba, hæ violæ, hæ hasta spiritualis, cæteris sit præferenda. Nos hoc tempore, quo S. Corona celebranda est, hujus stellæ lucem; hujus gemmæ nobilitatem; hujus herbæ virtutem; hujus violæ odorem; hujus hastæ contra satanæ insultum, aciem, explorabimus, in nostri solatium considerantes;

## P A R T E S.

I. *Quos Christus hic compellat.*

II. *Quid ab illis flagitat.*

III. *Quid illis repræsentat.*

## V O T U M.

Tu, Jesu mera dulcedo, mœsta peccata jam recreata, operata alleva, ad illustrissimi nominis tui laudem, affictorum voluptatem, & omnium salutem. Amen, Amen, dilectissime Jesu, Amen.

## I. P A R S.

*Quos Christus hic compellat. Observa hic:*

I. *Illorum quantitatem, sive numerum.*

II. *Illi:*

## II. Illorum qualitatem, sive statum.

I. Illorum quantitas, sive numerus. *Omnis*: Non hic, aut ille, sed *omnes* meæ oves, quæ me pastorem amant, *omnes* caligantes, qui me lucem desiderant; *omnes* colluctantes, qui meam opem implorant.

## D O C T R I N A.

*Nulli, nulli, auditores charissimi, credentes Christi meritis excluduntur.*

RATIO. 1. *Omnis*, clamitat benignissimus & potentissimus Salvator.

2. Qui lampade fidei instructi, *Matt. 25. 4.* Qui veste nuptiali amicti, *Matth. 22.* Qui spe immobili sunt muniti, *Rom. 5.* Qui charitate præstabili sunt ornati, *Col. 3.* Sponsi Jesu Christi gaudeant doris & bonis.

3. *Nullus* hic personarum est respectus, *Acto. 10. 34.* Num sit peccatrix illa foemina, *Luc. 7. 37.* sive sancta illa Elisabetha, *Luc. 1.* Num sit publicanus, *Luc. 18.* sive sanctus Petrus. Num sint liberi, vel servi, num sint Judæi, vel Græci, *Rom. 10. 12.* omnes Deum timentes, *Acto. 10. 35.* Christi meritis fruuntur, utuntur.

4. *Hic* subditi, cum Regibus; servi cum Dominis; liberi, cum parentibus; pauperes, cum opulentis; illiterati, cum doctis participant.

5. Jesus Christus ille Pastor, oves pascere, *Joh. 10.* Ille Pater, filios osculo excipere; ille Rex, subditos bonis ornare; ille Dominus, servos præmiis condonare, nullo fidelium excepto, decrèvit.

6. *Cuius* strenuè pugnanti, hic corona; *cuius* indefessè cursitanti, hic meta; *cuius* sincerè lacrymanti, hic lætitia est à Christo parata, *Matt. 5. 4. Luc. 6. 31.*

7. *Quivis* verus palmes, vitis Christi vitâ, *Joh.15.*  
*Quodvis* membrum, Christi capitî gloriâ, *Eph.5.* *Quivis*  
Filius, Christi patris opulentia potiatur.

1. *Usus. Correctio.* Quanta hîc multorum, e-  
heu! est impietas. *Omnis* Jesus Christus vult congre-  
gare, *Matt.23.* sed aufugiunt: *Omnis* sacra sua Cœna  
vult reficere, *Luc.14.* sed multi illam contemnunt:  
*omnes* vult liberare, sed multi illum liberatorem re-  
spuunt: *omnes* vult ornare, sed multi ornamentum il-  
lud vili pendunt. *Omnis* vult pascere, sed nonnulli  
hunc pastorem; *omnes* vult erudire, sed nonnulli illū  
præceptorem; *omnes* vult ducere, sed nonnulli illum  
ductorem rejiciunt, *Matt.8.* Tubam verbi sui per ser-  
vos intonat, & haud pauci aures obturant, *Ps.58.* ver-  
bum per illos prædicat, & cor indurant; Euangeliū  
corruſcat, & tenebras amant, *Joh.1.* Mensam suam  
adornat, & mundi delicias affectant. *Nulla, nulla,* mi-  
homo, hîc hospitis est invidentia, sed multorum re-  
ſistentia, *Act.7.52.* Ingens hospitis Iesu Christi libera-  
litas, sed magna etiam invitatorum multorum pravi-  
tas. Quod nonnulli hæc spiritualia fercula non sapi-  
unt, illorum est meritum; quod multi illa sapiunt, il-  
lius est donum, *Hebr.4.2.3.* Ne ergo, ô invite, ad S.  
Cœnam, Christum liberalissimum hospitem accuses,  
sed tuam insitam pravitatem, rerum mundanarum  
amorem nimium culpes, qui instar remoræ, *Luc.14.*  
18. cursum tuum, ad splendidissimum hoc convivi-  
um, retardat: qui instar aquæ desiderii tui ardorem  
ſæpè suffocat: qui instar ignis, affectum tuum erga  
hoc epulum devorat: qui instar veli, oculorum tuo-

rum aciem, ne mensæ hujus splendorem intueantur, obve'lat, & ita te salutari S. Cœnæ usu, meritorumque Jesu Christi fructu orbat.

2. Usus. *Consolatio.* O suavissimam inde erumpentem consolationem! *Omnibus, omnibus* Jesu Christi in hoc spirituali convivio, splendet favor, amor; liberalitas, bonitas; misericordia, gratia. *Omnibus ægris*, in hac S. Cœnâ, medicina; *omnibus mœstis lætitia;* *omnibus tentatis, arma offeruntur.* *Omnibus* pastoribus suis Nabal convivium adornabat, *1. Sam. 25.* Sed Christus & illis, qui gregem suum non paverunt, mensam instruit. David regiâ suâ mensa unum saltem claudum Mephiboschetum Jonathanis filium, dignabatur, *2. Sam. 9 ii.* Sed Jesus Christus hîc *omnes* claudos vocat, *Luc. 14. 21.* illisque regias suas dapes parat. O amore! Advola, advola ergo, tu credens, qui magis claudicas mente, quam Mephiboschet corpore. Qui magis cœcutis animo, quam Bartimœus oculo, *Marc. 10. 46.* Qui magis scates leprâ cordis, quam decem ille leprosi corporis, *Luc. 17. 12.* qui plus incurvatus propteras spiritualiter, quam filia illa Abrahami corporaliter, *Luc. 13. 16.* Qui magis disfluis spiritualibus vulneribus, quam Lazarus corporalibus, *Luc. 16.* Advolante, advolat *omnes* credentes ad hanc Cœnam, *omnibus* enim hîc *omnia* sunt oblata spiritualia fercula; *omnibus omnia* sunt presentata Christi merita; *omnibus omnia* sunt promissa spiritualia bona. Porta hujus cœnaculi, hujus sanctuarii *omnibus* credentibus est reserata: hæc spiritualis mensa *omnibus* esurientibus est preparata; hec medela *omnibus* languentibus est ob-

lata. Quid jam tergiversaris afflige? Quid invitanti  
reluctaris luctuose? *Omnibus fidelibus, omnes sunt S.*  
convivii deliciæ, cupediæ communes. Sat agis te nu-  
mero *horum Christo dilectorum*; *horum in Christo*  
electorum; *horum a Christo vocatorum* excludere?  
Absit, absit, & longissimè hoc à te, mi frater, absit;  
Aggreges, aggreges, te potius hisce *omnibus* vocatis  
Christi membris, dilectis, fratribus, sororibus, ut *om-  
nia* Christi Archisymposiafastis dona, & bona, instar  
rivulorum, ad te quóque fluant, animam tuam ema-  
ciatam, pinguefaciant, *Esa. 55.2.* Siti propè enectam  
reficiant: Ut in Christi tui hospitis largitate, cum  
Davide, exultare, *Psal. 23.12.* cum Asapho, te recreare  
possis, *Pf. 73.25.* Sufficiant hæc de quantitate, sive numero  
vocatorum; Jam consideranda nobis venit illorum;

## II. Qualitas: Respectu;

### I. Effecti.

### II. Causæ.

I. Respectu effecti alicujus rei. *Qui fatigati estis.*  
*Fatigati peccatis, fatigati diabolorum telis, fatigati ex-  
ruminis, fatigati pugnis.*

## D O C T R I N A.

*Exhausti fere, & planè macerati, ob miseriarum cumulta-  
rum & insultum, hic à Christo vocantur.*

### RATIO I. *Qui fatigati estis.*

2. Christus enim est Medicus ægrotantium; clypeus  
pugnantium; lugentium refocillator; egentium dita-  
tor; redemptor damnatorum; benefactor miserorum.

3. Illi miseri Christum liberatorem; illi nudis, Chri-  
sti stolam; illi afficti, Christi potentiam; illi opibus  
spiritu-

spiritualibus exuti, Christi opulentiam, unicè petunt.

4. *Illi* est datus, *Esa. 9.6.* *Illi* est natus, *Luc. 2.* *illi* est mactatus, *Esa. 53.7.* *Rom. 4.25.* Ut illi calamitosi, in Christi vibicibus refectionem; in vulneribus sanationem; in ipsius abjectione, gloriam; in ipsius passione, lætitiam; in ipsius crucifixione, vitam reperirent.

5. *Hosce pauperes & contritos diligit*, *Psalm. 51.19.* *Esa. 66.2.* *Illorum genua labantia fulcit*, *Esa. 35.3.* *Illos consolatione reficit*; *Illos gaudio perfundit*, *Luc. 6.21.* In *illis* habitaculum erigit, *Esa. 57.19.*

6. Nam ut bonus pastor, imbecilles oves, portat, *Luc. 15.* *Esa. 40.11.* laboriosus vinitor, mobiles palmites, statuminat: Ita Christus sustentat infirmos, corroborat languidos.

7. Hinc illa Christi blanda ad ærumnosos labia; mellita ejus verba, illorum refectoria & asyla; remedia & fulcra.

1. *U s u s . C o r r e c t i o .* Multi sunt, qui se fatigatos non sentiunt: qui cum Phariseis propriam justitiam crepant; cum nullus naturâ justus est, *Rom. 3.11.* Qui se puros esse jactitant, cum omnis homo natura immundus est, *Esa. 64.6.* Qui se vitiis vacuos venditant, cum unusquique corruptus est, *Psal. 14.1.* Multi sunt, qui non sunt defatigati, fame ad hoc epulum irritati; qui non sunt fatigati; cibi & potus suavitate, ad hoc convivium, inflammati. Ut divites dimittuntur inanes, *Luc. 1.53.* Ita & vos propriæ justitiae jactatores ablegabimini inanes. Qui non est defatigatus, vulneratus, in S. coena nulla inveniet remedia; Qui non est defatigatus, gravatus, nulla is hic offendet levami-

na; Qui non est fatigatus, contristatus, nulla is hic reperiet solamina. Qui hic non fatigatur, is nulla laetitia afficiatur; sed in convivio infernali in æternum torqueatur. O funestum horum statum!

2. Usus. *Consolatio:* O beatos hic fatigatos, nam illi in sacra cœna, animarum accipient requiem, ut columba Noachi in arca sua. *Fatigati* in S. cœna melle gratiæ Dei, vino amoris Jesu Christi recreantur, vires illorum fractæ, pane, imo Christi corpore restaurantur. Panis ille in S. cœna, similis est frumento isti, quod juvenes; & poculum istud inusto, quod facundas faciebat virgines, *Zach. 9. v. 17.* *Fatigati* illi Christi auditores, mirabiliter quinque panibus, ad hanc caducam vitam sustendandum, reficiebantur, *Joh. 6. 11.* Sed corpore Christi crucifixo, & sanguine illius effuso, defatigatae animæ ad æternam vitam, S. in cœna foventur. Hoc enim convivium nostrum spirituale, defatigatorum, afflictorum est solarium; defatigatorum, tentatorum est perfugium; defatigatorum, famelicorum est penuarium; defatigatorum, angelatorum refectorium; fatigatorum, laborantium, præmium; fatigatorum, æstuantium, refrigerium. *Besta* ergo es anima, dum hic es defatigata, quia in S. cœna eris recreata.

II. *Respectu cause.* Onerati es. En vobis causam hujus spiritualis *fatigationis* expositam! Onus hominem gravat, gravando excruciat, excruciendo fatigat, fatigando ferè enecat: ita etiam peccati onus miserum peccatorem premit; peccati *moles* ipsum ferè suppressit; peccati *pondus*, ipsi ob fatigationem, spiria

spiria, sudorem, imò & sanguinem fermè exprimit; instar lapidis molaris ipsum propè atterit; ipsum terræ allidit, allidendo interimit. ô gravissimum peccatorum onus! Hoc onere enim nihil excogitari potest gravius. Qui ita jam *onerati* sunt, hīc vocantur, hīc invitantur.

## D O C T R I N A .

*Peccati pressi à Christo vocantur.*

R A T I O . 1. *Onerati estis.*

2. Illi desiderant allevatorem, ut æger medicamentum; ut famelicus cibum; ut hoste infestatus clypeum desiderat.

3. Ut veneno infecti antidotum; ut polluti lavacrum appetunt: ita & illi peccati veneno imbuti, peccati labe aspersi, remedium & regenerationis lavacrum appetunt, *Psal. 51.*

4. Pastor non tam anxiè ovem perditam; pater filium prodigum; mulier drachmam amissam quærebat, *Luc. 15.* quām Christus quæsivit peccatores peccati onere pressos.

5. Illis stolidis, est sapientia, *i. Cor. 1.30.* nudis, stola; claudis, pertica; injustis, justitia; ægris, medicina; *Psal. 103.3.*

6. Hinc illa publicanis cum conversatio; publicani justificatio, *Luc. 18.* Zacchæi blanda compellatio, *Luc. 19.9.*

7. Nónne illos peccatis pressos vocaret? In illum gratiam ex gaudio, in luctum; ex throno, in stabulum; ex gloria, in ignominiam; ex vita, in mortis speluncam descendit.

I. *Usus. Correctio.* Multi reperiuntur, qui peccata *plumis leviora* estimant; hinc ille sacramentorum contemptus; hinc abominandus illorum abusus; hinc illa diabolica invidia, detestanda avaritia, exosa superbia, & id genus alia pullulant vitia. Affluunt ad sacram cœnam non peccatis *onerati*, nullo peccatorum pondere pressi, & idcirco non refocilliantur. Nam ubi nullum est *gravamen*, ibi nullum in S. cœna *levamen*; ubi nullius *oneris* crux, ibi nullius recreationis, in S. cœna, lux; ubi nulla ob peccati *onus* suspiria, ibi nulla, in S. cœna, esse possunt cantica. Et tandem tua peccata, ô homo, exigua, multa; parva, magna; guttulæ, flumina; colles, montes; plumæ, *onera* Ætna monte graviora existent, te prement, depriment, prosternent, & planè atterent. Illud peccatorum tuorum *onus* te conterat sicut leo, *Esa. 38. v.13.* Te consumat, velut ignis, *Thren. 1.13.* Te cruciet, ut Scorpio, *Apoc. 9.5.* Peccata adscendent super collum tuum, & vires tuas corruere facient, *Thren. 1. v.14.* Transcendent tuum caput, & sicut *onus* grave, graviora erunt, *Psal. 38.5.* Tum superveniet *talentum plumbi*, *Zach. 5.7.* quod corpus & animam tuam in imum usque inferni barathrum demerget. Nam nullum *onus* gravius, quam pondus flagitorum. Minutæ sunt guttæ, quæ flumina implent: minuta sunt peccata, quæ cordi gravamina augent. Multa minutæ arenæ grana aliquem opprimunt: minuta etiam plura peccata, peccatorem collidunt & prostritum relinquunt, ut Saulis gladius, quo se transfixit, *1 Sam. 31.5.* Judæ laqueus, quo se suspendit, satis superque evincunt,

evincunt, alios intactos ut relinquam, quos peccatorum gravissimum pondus in desperationis lacunam detrusit, Matth. 27. 5.

2. Usus. *Admonitio.* Onerati simus, dum S. ad cœnam properamus. Peceatum nos præmat, ut in S. cœna refectorem; nos torqueat, ut ibi liberatorem; cruciet nos, ut refectorem; vulneret nos, ut sanatorem appetamus; appetendo quæramus; quærendo inveniamus; inveniendo lætitia exsiliamus. Peccati *onus* nobis sit instar calcaris, quo instimulemur; ignis, quo inflammemur; funis, quo raptemur ad hoc spirituale convivium, ubi refectionis fercula, levationis vina, Isa. 25. Ubi Christi sunt vulnera, sauciatae animæ remedia; Christi suspiria, gaudii perennis nostri principia. Ubi fercula sunt delicatissima, vina præstantissima: Ubi est Christi proposita crux, animæ mœstæ lux: Ubi est Christi sanguis, peccatorum anguis: Ubi est Christi mors, optima afflictæ animæ fors. Eturis, ob peccati *onus*, quo premeris? En tibi in hoc Euangeli, gaudii, gratiæ, gloriæ mensa, fercula lautissima, admove fidei os spirituali petre Christo, & ex illa reficiens illud mel hauri. Sitis ob peccati *pondus*, quo *oneraris*? En tibi in hac S. cœna suavissimum potum, aquam vitæ Iesum Christum. Bibe & non sities in æternum, Joh. 4. 14.

*Audiamus jam:*

### I I. P A R T E M.

*Quid ab illis flagitas.* Attende :

I. *Quid faciant.*

II. *Erga quem.*

I. *Quid.*

I. *Quid faciant. Venite*, dicit Salvator. *Venite non pedibus, sed moribus; non corpore, sed in primis fratre.* *Venite non inani arrogantia inflati, sed humiles; non externè tantum justi, sed peccatores.*

## DOCTRINA.

O amorem! *Christus serio respicientium peccatorum vult salutem.*

RATIO. 1. Hic altissimâ clamat voce Salvator ad peccatores oneratos: *Venite.*

2. Splendidæ Aharonis vestes non auro tantum gemmisque splendebant & corruscabant, sed & tintinabulis argenteis resonabant, *Exod. 39. 25.* Christi cœlestis illius Aharonis, suavissima, blanda, invitatoria ubique exaudita est vox, *Joh. 4. 14. & 6. 55. 56.*

3. Quid Christi suspirationes, increpationes, orationes, adhortationes aliud innuunt?

4. In Veteri Testamento homines per Patriarchas & Prophetas vocavit: In N. T. ubique Euangelii tuba per Apostolos cecinit; Euangelii lucem ante gentium oculos accedit; verbi semina sparsit; ut steriles illi agri, homines, inquam, infœcundi fœcundarentur; tenebris involuti illustrarentur; peccatorum veterno correpti exuscitarentur, *Eph. 5.*

5. Ut piscator, in piscibus caprandis, sudat; ut arator, in terra proscindenda, anhelat; ut olitor, in planis aggerandis, laborat: Ita Christus mundi salvator, nihil intentatum reliquit, ut miseros peccatores, peccatis onustos salvaret, levaret, illos rore, imò flumine Euangelii fœcundareret; dura hominum corda atro legis frangeret; illos maris hujus mundi immundis

mundi profunditate, rete verbi, extraheret; illos, veluti laudis suæ plantulas, admonitionum & consolationum terra muniret & vestiret.

1. *Uſus. Correct.* Hic jam meritò illi sunt *corripiendi*, qui *venire* recusant, lenociniis voluptatum capti, bonis mundanis irretiti, à Diabolo decepti. Et illi hic increpandi, qui clamante Christo *venite, venire* detrectant, & obsequium Christo præstandum Procrastinant, imò de hora in horam, de die in diem, de septimanā in septimanam, de mense in mensem, de anno in annum prolongant. Hodie *venite*, clamat Salvator, Ps. 95.8. & tu cras, cras cum infernali corvo, erocitas, ô peccator! Tu diabolo hodiernum, & Deo eternum, diabolo præfens tempus, & Deo futurum, diabolo juventutis florem, & Deo senectutis fæcem, diabolo, inquam, corpus tuum vigorosum, & Deo corpus tuum senio exhaustum consecres, immoles? Cur non *venis*, fidei & speci, charitatis & liberalitatis lampade instructus, ueste nuptiali amictus, Matth. 25. ¶ 22. dum Sponsus ille Jesus Christus, te ad dapes suas, quovis melle & saccaro dulciores, allicit, clamans: *venite, venite.* Aures mortuorum, hujus Christi ad *venite, venite*, sunt referatae, Luc. 7.14.15. Joh. 11.43 44. & tuas, ad illud, manent occlusæ? Petra à Mose percussa limpidam effundebat aquam, Exod. 17.6. Et tuum cor, per hoc *venite*, pulsatum, nullos obedientiae & amoris emitat rivulos? O aures à diabolo incantatas! ô cor da diaboli technis ipsis petris duriora! Sed organis, & obstrepis forsitan: *Veniam* curriculo juventutis exacto, & canitie senectutis prorumpente prodro-

mo; sed ô barde, quis tibi longum vitæ curriculū promisit? Et si tibi longa vitæ usura erit concessa, tūne, clapsō ferè die, & ingruente vesperā, itineri tū comitteres, cūmque Levita isto te summis periculis exponeres? *Jud. 19. 14.* Et senio jam confectus, vacillantibus pedibus ad cœnam properare; caligantibus oculis signa gratiæ Dei aspectare; tremulis manibus foederis sigilla palpare; surdis auribus illis annexa promissa captare moliris? ô stolidam talem sequentem, & senilem talem stoliditatem!

2. Usus. *Admonitio.* *Veniamus* jam, fratres charissimi, vocati Sponsi nostri voce meram spirante humanitatem, veram testante charitatem. *Veniamus* ad mensam gratiæ opiparam: *veniamus* ad hæc animæ fercula desideriis & suspiriis: *veniamus* non passibus corporis, sed affectibus cordis; non dente, sed mente; non stomacho, sed animo. Spiritualia hæc tragema-ta, spirituales flagitant pedes, fidem nimirum justificantem, salvificam. *Veniamus* cruce, & ægritudine, mœrore, & dolore; curis, & angustiis. Salomon *veniebat* ad coronationis locum, *i. Reg. 1. 39.* cur nos non ad hanc S. Cœnam, ubi reges proclaimamus spirituales, properarem⁹, *veniremus*? Elias *veniebat* ad Angeli fercula corporalia, *i. Reg. 19.* *Veniamus* ne ad Angeli hujus Novi foederis, *Mal. 3. 1.* bellaria spiritualia? Sed, ô Jesu, quis tuam ad mensam *venire*, sine tuo auxilio evalet? Spiritus tui manu duc nos, imò, trahe nos ad te, trahe nos ad te, ô Jesu dulcissime, & *veniemus*! Trahe, trahe nos, post te curremus! *Cant. 1. 4.*

*Percipiamus:*

II. Elega

I I. Erga quem aliquid faciant. *Ad me*, dicit Christus. *Venite ad me*, vestrum pastorem, refocillatorem, medicum, perfugium; salutem, defensionem; lætitiam, vitam, Joh. 10. Luc. 5. 31. Joh. 14. &c. *Venite ad me*, non ut poenas luatis, sed vos reficiatis; non ut dignitatem meam augeatis, sed voluntatem spiritualem vestram offendatis.

## D O C T R I N A.

*Ad Christum miseri peccatores confluant.*

R A T I O. I. *Venite ad me.*

2. Quia Christus contra legis tonantis impetum, illorum est latibulum; contra peccati venenum, antidotum; contra diaboli astum, propugnaculum; inferni contra baratum, asylum; mortis insultum, scutum, Joh. 6.

3. Extra hunc Christum Salvatorem nulla afflitis istis est requies; nulla desolatis istis est spes; nulla peccatoribus remissio; nulla pro debitoribus solutio.

4. Propterea publicanorum, miserorum peccatorum turba hujus Christi præsentiam affectavit; peccatrix illa Mulier, ad hujus Salvatoris pedes, se prostravit, Luc. 7. Publicanus hujus sanguinem & opem desideravit, Luc. 18.

I. U S U S. Refutatio. Gravissimè jam illi errant, qui Christo vitæ fonte relicto, ad cisternas aquâ destitutas se recipiunt, Jer. 2. Qui ad Angelorum myriades, ad Monachorum ordines, ad Ecclesiarum antistites, ad Petrum, ad Paulum, ad ossa, ad altaria, ad vigilias, ad eleemosynas, ad peregrinationes, ad corporis macerationes, currunt. *O vesaniam!* Mortui nesciunt quicquam,

quicquam, *Eccl. 9.5.* Nec vident mala vestra, *2. Reg. 22.20.* Nulla reliquiis carie ferè exesis turbata est vis: nulla in mortuis latitat efficacia: nulla in vigiliis hērent merita. *Ad me, ad me venite, clamat Salvator. Ad me, vestrum Redemptorem, Esa. 41.14.* *Ad me, vestram salutem, Act. 4.12.* *Ad me venite, & non ad Apostolum Johannem, qui me intercessorem esse dicit, 1. Job. 2.5.* *Ad me, & non D. Paulum, qui meam ad crucem vos ducit, 1. Tim. 1.15.* *Ad me, & non D. Petrum, qui me Salvatorem esse clarissimè innuit, 1. Pet. 2.24.* *Ad me, & non ad Johannem Baptistam, qui me agnum mundi peccata-tollentem graphicè depingit, Job. 1.29.* *Ad me, & non Mariam, quæ suam salutem, & in me, quæsivit, Luc. 1.* *Ad me, & non ad Ecclesiam militantem, quæ maculis est denigrata, Cantic. 1. 5.* Roris est repleta, *Eph. 5.26.* *Ad me, & non ad Ecclesiam triumphantem, quæ mihi salutis suæ gloriam tribuit, Apoc. 7. 10.11.12.*

2. *U s u s. Admonit.* Erigitur jam aures Christi hospites: Auscultate ei, qui vos addapes, ad voluptates, ad delicias, ad spirituales lætitias vocat. Qui suavissimum illud venite *ad me* eructat, venite, inquam, esurientes, *ad me* cibum; laborantes *ad me* medicum; lugentes, *ad me* vestrum gaudium; flentes, *ad me* vestrum solatum. *Ad me, qui hanc adornavi mensam, hanc præparavi cœnam, ut vos ad me, & meam allicerem munificentiam;* vos caligine obrutos, *ad me* vestram lucem; vos errore imbutos, *ad me* vestram viam; vos ægros, *ad me* vestram medicinam; vos ferè mortuos, *ad me* vestram vitam, traherem, *Job. 8. 6. & 14.* Veniamus ad ipsum, quis enim præter

illum nos de corpore mortis liberabit? Rom. 7. 25. Præter illum dolores nostros sanabit? Esa. 53 4. Præter illum animæ nostræ refectionem præstabit? Nónne veniamus nos miseri ad S. Cœnam, & ad ipsum nostram felicitatem; nos afflicti, ad ipsum nostram dulcedinem; nos invenusti, ad ipsum nostram pulchritudinem; nos egeni, ad ipsum nostram plenitudinem. Venit pullus ad gallinam, venit canis militeus ad heram vocatus: nónne nos multò magis, nos servi, inquam, ad ipsum nostrum Dominum; nos liberi, ad ipsum nostrum Patrem; nos subditi, ad ipsum nostrum Regem, qui nos ad panem, ad salutem, ad vitam, ad gloriam, ad gaudium, ad jubilum vocat, invitat, allectat, veniamus? Veniamus ergo ut debiles, ad ipsum nostrum robur; ingeminantes in S. Cœna: Gratiōsis esto mihi Jehova, quia languefactus sum: cura me Jehova, quia turbata sunt ossa mea, Ps. 6. 3. Veniamus ut claudi, ad ipsum nostrum ductorem; clamantes in S. Cœna: O bone Jesu, venio ad te, duc me in justitia tua, Ps. 5. 9. Veniamus nos miseri ad ipsum nostram salutem suspirantes in S. cœna: Gratiam fac mihi, o benignissime Jesu, secundūm benignitatem tuam, secundūm amplitudinem miserationum tuarum, Ps. 11. 3. Veniamus nos cœci ad ipsum nostrum illuminatorem, ostantes in S. cœna: Illustra, o liberalissime Jesu, oculos meos, Psal. 13. 4. Ponderemus jam;

## III. P A R T E M.

*Quid illis repræsentat.*

III. *Quid illis repræsentat: Ego faciam ut requiescat.*

Ego vestræ desatigatæ animæ requiem, oneratæ alle-  
vationem abundè suppeditabo; & peccatorum vestro-  
rum onera profundo maris meritorum meorum suf-  
focabo; sub pallio misericordiæ & justitiæ meæ oc-  
cultabo; & quicquid vos cruciat, macerat, premit,  
afflit, illud manu clementiæ meæ eradicabo.

## DOCTRINA.

*Christus afflictos, mæstos credentes solatio reficit.*

RATIO I. *Ego faciam ut requiescatis.*

2. Ille, collyrio pretiosissimo, oculos illorum, ca-  
lamitatum & iniquitatum tenebris obfuscatos, illu-  
minat, *Apoc. 3.* Ille vulnera illorum, oleo & vino me-  
ritorum, sanat, *Luc. 10.* Ille, Spiritu suo, mœsta pe-  
ctora recreat.

3. Ille pauper factus est, suos ut ditaret, *2. Cor. 8.9.*  
Infirmus, suos ut corroboraret; nudus, suos ut orna-  
ret; mortuus, suos ut vivificaret; mœstus, suos vero  
gaudio ut imbuheret, perpetuo solatio ut erigeret.

4. Ille in hunc finem mundo comparuit, ut au-  
ream illam pacem conscientiæ restitueret, *Esa. 9. Rom.*  
*5. Luc. 2.* metum omnem profligaret; gaudio & solatio  
suos ut afficeret.

5. Intuere exempla. Prodeat lacrymans ille Pe-  
trus, *Luc. 22. 61.* suspirans ille Publicanus, *Luc. 18. 14.*  
Peccatrix illa Christi pedes lacrymis suis irrigans,  
*Luc. 7. 48.* Saulus ille pio horrore trepidans, *Act. 9. 6.*  
Nonne illi ad unum omnes, se Christi dulcissima  
consolatione erectos, refectos affatim fuisse, cla-  
mabunt, adjurabunt?

I. Usus. *Correcțio.* Quis hæc non multorum ac-  
cusareg

tusaret recordiam, imò malitiam? Si aliquis medius tibi ægro, sanitatem; benignus, tibi egeno liberalitatem; robustus, tibi afflictio liberationem, promitteret, nónne accurreres? Quare ad Christum in sacra coena, qui te laborantem sanare; te periclitantem liberare; te lamentantem lætificare; te mendicantem ditare; te sudantem refocillare promisit, venire tergiversaris? Si non admittes suavissimum illud *Venite*, percipies tandem luctuosissimum illud *abite*, Matt. 7.23. & 25.41. Si in S. coenam Christi meritis requiescerre non desideras, laborabis; si ibi requiescere, voluptate spirituali frui non affectas, ingeminabis in illo loco, ubi nulla requies, nulla blanda Salvatoris compellatio; ubi nulla requies, nulla grata Redemptoris invitatio, te reficiet; sed ubi atra miseriatur nox te obruet, & aspera dæmonum vox te perterrefaciet, perpetua crux te affliget; conscientia tua instar aculei te punget; instar canis in te irruet; instar ignis, te uret; instar serpentis, te lædet, ut nunquam requiescere possis.

2. Usus. *Admonitio.* Nihil nobis sit jucundius, quam ad vocem dulcissimi nostri Jesu, ad ipsius convivium advolare. Quis nostrum defatigatus, non refocillationem? Quis pressus, non *allevationem?* Quis oneratus, non *requiem* appeteret? Si leve quoddam onus nobis *requiei* desiderium imprimit; quid non maxima illa peccatorum onera, quovis plumbo graviora agant? Expandit brachia humanissimus Salvator; aperit amoris sui latera benignissimus invitator; allicit ad vulnera, fidelissimus Redemptor, &

nobis anxiis, in S. Cœna, consolationem; nobis ex-  
haustis, refectionem; nobis defatigatis, spiritualem  
requiem spondet, & stabilit. Quid jam moras ne-  
tatur? Cur ad Christi convivium, animæ defatigatae  
refectorium, lassa paradisum, non afflueremus? Hic  
qui jam aures suas occludit: hic qui venire abnuit,  
vel tardat, vel procrastinat, ille aut vanus, aut yesanus,  
aut dirus est, aut delirus. Adsit in S. Cœna elevator,  
& recuset ad illum affluere, sub peccati onera, anhe-  
lator? Promittat requiem pastor, & accurrere detre-  
ctet ovis cæteris languida? Assideamus, assideamus  
ergo huic mensæ, ne defatigati succumbamus, sed re-  
creati gaudio exsiliamus; ne onerati pereamus, sed  
allevati vivamus.

3. Usus. *Consolatio.* O suavissimum consolationis  
fontem miseris, & ferè peccatorum onere attritis pec-  
catoribus apertum! *Zachar. 13.* Si tibi diabolus nego-  
tium facebit, tibi exitium struit, ad Christum in S.  
Cœna præsentem accelerat, qui tibi contra illius fu-  
riosum impetum, igneus murus, *Zach. 2.* ad illius tech-  
nas effugiendum, prudentissimus erit consiliarius,  
*Esa. 9. 6.* Peccatorum testimulus pungit? Conscien-  
tiæ vermis te rodit? Cogeris cum Davide te incurva-  
re? *Ps. 38. 7. 9.* Urgeris cum publicano suspirare? *Luc. 18.*  
*13.* Premeris cum paralytico opem desiderare? *Matt.*  
*9. 2.* Ad Christum adventa, qui hic in S. Cœna, vul-  
nera sua, tuorum medicamina, ostentat: qui onera  
sua, tuorum levamina, demonstrat: qui bella sua, tuo-  
rum placamina esse indigit. Qui te fatigatum, in S.  
Cœna, dulcissimis suis labiis ita compellat: Ne ti-  
meto,

meto vermicule Jaacobi, *Esa. 41.14.* Ego, ego ipse de-  
 leo defectiones tuas propter me; & peccatorum tu-  
 orum non recordor, *Esa. 43.12.* Si fuerint peccata ve-  
 stra velut dibapha, tanquam nix albescent; si rubra  
 fuerint velut coccinum, similia lanæ erunt, *Esa. 1. 18.*  
 confide fili, remissa sunt tibi peccata tua, *Matth. 9.2.*  
 confide filia, fides tua te liberavit, *Matt. 9.22.* Spiritu  
 es contrito & contribulato? *Pf. 51.19.* En tibi in S.cœ-  
 na Salvatorem, refectorem, qui gaudii oleum tristi &  
 sauciatae animæ infundit; qui voluptate te perfundit;  
 qui tibi onerato auxilio suo succurrit, *Luc. 10.* Sentis  
 conscientiæ morsum? Ille, in S.cœna, ita te alloquia-  
 tur: Ego faciam ut requiescas; ego te ab illo liberabo;  
 ego illius motum sedabo; ego conscientiam tuam à  
 mortuis operibus emundabo, *Heb. 9.14.* En tibi pacis  
 hujus & tranquillitatis, signa, signacula, panem ante  
 oculos tuos fractum, & vinum effusum. Horrorem  
 tibi legis incutit fulmen? En tibi, ad tuam requiem,  
 hâc in S.cœna, Euangelii flumen, *Job. 3.* Exhorreſcis  
 ad maledictionis illius tonitru? En tibi, ad tuam requi-  
 em, in hâc S.cœna, benedictionis cornu. Contremi-  
 ſcis, ô conviva tremule, ad Dei iram? En tibi, ad tuam  
 requiem in hoc epulo, veluti in speculo illius grati-  
 am, *Rom. 5. Hoſ. 2. 28.* Exanimat te infernalis ille rugi-  
 ene leo? *1. Pet. 5.5.* Ego ille Schimſchon, qui illum de-  
 scidi, præfiguratum ut est, *Jud. 14.7.* Ego ille leo de tri-  
 bu Juda, qui ipsum vici, *Apoc. 5.5.* adumbratum ut est.  
 Sitit anima tua, & gloriatur sicut cervus gloriatur aspi-  
 rans ad alvos aquarum? *Pſal. 42.2.* Ego in S.cœna ille  
 fons, qui ad tuam requiem ardorem fitis tuæ ex-  
 sum

tinguit; qui in ventre tuo flumen aquæ vivæ gignit,  
*Joh. 7.38.* qui te ad vitam æternam reficit. Periculo es  
 expositus? Ignis flammis es petitus? Fluctibus maris  
 es ferè obrutus? Ego ad tuam requiem, juxta mea, in  
 S. cœna, promissa, quum transis per calamitatum flu-  
 men, ne inundet te; quum incedis, per temptationum  
 ignem, ne inflammet te, *Esa. 42.2.* O suavissimum Sal-  
 vatoris alloquium, pœnitenti, ad requiem perfugium;  
 patienti, ad suam requiem, solatium; deficienti, ad  
 suam requiem, subsidium! *Audivisti;*

I. *Quos Christus hic compellat.*

II. *Quid ab illis hic flagitat.*

III. *Quid illis hic representat.*

### E P I L O G U S.

*Nucleus omnium, apoc. cap. 3.v. 20. est propositus*  
 ubi Salvator Jesus Christus ita mortales compellat:  
*Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audiverit vocem meam,*  
*& aperuerit ostium, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo,*  
*& ipse tecum.* Cum dulcissimus Salvator jucundum  
 illud intonat Euangelium, accelerate quotquot  
 peccatorum onere pressi: quotquot illorum pondere  
 defatigati estis, *ad me, ad me,* qui vestra vulnera san-  
 re, onera sublevare, peccata eradicare novi, vestri ad  
 salutem & requie, lætitiam & vitam; nonne pulsatum  
 aures, juxta ac animos vestros? Nonne ferit corda?  
 Nonne illa gestit ingredi, ut spiritualia sua cœnacula?  
 Nonne desiderat cœnam vobiscum celebrare? Prope-  
 rate ergo ad hunc oneris vestri allevatorem, iniquita-  
 tis vestræ deletorem, qui jam ad S. cœnam hanc vos  
 iuvat, vocis suæ suavitate affectat. Arripite fidei ma-  
 nu, quod;

nu, quod, in spirituali hoc convivio, vobis exhibet; gustate solatii dulcedinem, quam vobis hic offert, & sint vobis haec spiritualia fercula, vina, Nectare & Ambrosia gratiiora. Nam si ad hanc S. coenam, ad Iesum Christum, peccatorum onere ferè attriti, ad voluntari estis; allevati, recreati, exhilarati ab hac S. coena discedetis: vestri planctus, in plausus; vestra suspiria, in cantica, erunt commutata. Cantillatur enim estis illud Davidis, Psal. 23. Jehova pastor meus est, non possum egere. In caulis herbidis facit ut retubem, secundum aquas lenes deducit me. Animam meam quietam efficit. O beatos ergo ad Christum in S. coena venientes! Nam in hac resocillentur, & in illa magnâ coena uberrimè pinguedine domus coelestis saturentur. Ad quam nos evehat noster Salvator & recreator, cui cum Patre & Spiritu S. sit hic & in æternum laus & gloria. Amen, Amen.

## C O N C I O V I I.

T I T U L U S.

Unio & Communio, Christi & Christiani, arctissima, suavissima.

TEXT. Matth. Cap. 24. v. 28.

Ubiunque enim fuerit cadaver, illuc congregabuntur aquilæ.

## E X O R D I U M.

Charissimi, nobile & amabile est Proverbium: Simile simili gaudet. Hujus veritas se, in Physicis, in Politicis, in Oeconomicis, in Ecclesiasticis, luculenter prodit,

232 D E S A C R A C O E N A  
prodit. In *Physicis*, ejusdem enim naturæ & formæ animalia, magnam & admirandam inter se fovent familiaritatem, suavitatem. Graculus Graculo assidet; turtur turturis præsentia gaudet; pica picæ summoperè favet. In metallis quis hoc non cernit? Quem ibi argenti vivi & auri conjunctio in admirationem non rapit? Quis, ad magnetis & ferri familiaritatem, non obstupescit? In *Politiciis* hoc perspicuum, nam ibi morum similitudine homines inter se atque etiam ad utriusque fortunæ sortem, æquo & invicto animo preferendum atque frangendum, devinciuntur. In *Oeconomicis* quis hoc ibit inficias? Ibi enim arctissimo amoris, consanguinitatis vinculo, Parentes, liberi, fratres, sorores, inter se originis, virtutis similitudine constricti sunt. In *Ecclesia*, unius istius domus spiritualis domestici; istius civitatis cives, ob fidei, spei, gloriæ, coronæ; similitudinem, dignitatem, mirabilem, desiderabilem, colunt amicitiam, nutriunt lætitiam. Hoc nobis, in præsenti enucleando textu, in amabili, inseparabili, Christi & Christianorum inter se unione & communione adumbratur; quæ convivio huic, ad quod invitati sumus, ritè ut applicetur, duo perponderaturi:

I. *De qua re hic differatur.*

II. *Quid illa de re afferatur.*

V O T U M.

Fac, ô Deus, consolationum rivuli in nos tuos convivas, ex hoc limpidissimo consolationum fonte, unione tecum, & communione, ad mœstæ nostræ animæ refectionem, cibationem, vivificationem, proflu-

profluant. Amen, Amen, dulcissime J E S U, Amen.

## I. P A R S.

*De qua re hic differatur. De cadavere. Ubicunque enim fuerit cadaver. Christus, cœlestis ille doctor, regis sui ducor, suos electos, suos dilectos, diabolorum contra astum, bellorum æstum, haereticorum insultum muniturus, producit egregiam consolacionem, quâ, veluti clypeo, suos armat; quâ, ceu fulcro, fidem illorum statuminat; quâ, ceu sole, tristiae nebulas profligat; quâ, ceu voluptate, afflita peccatora recreat. Asserit enim hâc eleganti similitudine tam arctam, tam firmam inter se & suos fore unionem, ut nulla temporis adversitas; universitatis capacitas; afflictionis acerbitas, illam unquam sit disruptura. Et quamvis Christus vitæ sit fons, ex quo electi vitam hauriunt, est tamen cadaver; cadaver, inquam, illos sustentans, cibans, vivificans, refocillans. Cadaver, quatenus mortuus; cadaver, quatenus mundo abjectus; cadaver, quatenus impio fœtidus; cadaver, quatenus pio fragrantissimus. Illis fidelibus caro Christi est veluti cadaver illud leonis, è quo Simson mel colligit, adeoque illis est cibus vivificus; in cadavere, in Christi nimirum morte fidelium vita est sita. Quid dulcius hoc cadavere? Quid pretiosius Christimorte?*

## D O C T R I N A.

*Christus fidelium cibus est vivificus.*

R A T I O. 1. *Cadaveris verbo hoc adumbratum est.*

*2. Christus est panis vitæ, ad vitam æternam fideles alcens, Job.6.*

3. *Cibus*

3. *Cibus*, Abrahamum conflictu cum hostibus debilitatum, recreabat, Gen. 14.18. *Panis* Eliam famelicum corroborabat, 1. Reg. 19.8. *Mel* Jonatham fessum refocillabat, 1. Sam. 14.28. Fragmen *Palathæ* virum Ægyptium vivificabat, 1. Sam. 30.12. Sed *Christus* est verum illud *mel*, quo anima cuiusvis Jonathæ reficitur: ille *cibus*, quo genuinus Abrahami filius lucta spirituali fractus, erigitur: ille *panis*, quo spirituali inediâ exhausto vita restituitur.

4. *Cibus* mortales alit ad caducam hanc vitam: *Christus* suos nutrit ad sensum vitæ spiritualis, & spem vitæ immortalis, Joh. 6.

5. *Cibus* vires attenuatas restaurat: *Christus* animæ musculos & arterias hujus ævi molestiis debilitatas, confirmat.

6. *Cibus* homini sano cedit in nutrimentum: *Christus* credentibus in spirituale alimentum.

1. *Usus. Correctio.* Ab quâ multi hoc *cadaver*, *Christum* crucifixum, mortuum, in S. cœna repræsentatum, fastidiunt, negligunt, contemnunt! *Jobo* albumen erat insipidum: nihil saporis & illi in *cadaver*, in Christi morte offendunt. *Quemadmodum* verbum prædicatum: ita & sacramentum hujus *cadaveris*, hujus salvatoris crucifixi, est illis odor mortis ad mortem, 2. Cor. 2.16. Non suâ naturâ, sed illorum culpâ; non suâ indignitate, sed illorum malignitate. Nolunt frequentare S. cœnam, quâ hoc *cadaver*, mortis Christi efficacia & fructus, vita & succus illis offeruntur. *Christus* in S. coena, est illis *cadaver* quod effugiunt; cuius vim illi haud sentiunt; cuius succum

succum illi non expetunt, *i. Cor. 1.23.* Illi non trutinant  
hujus *cadaveris*, Christi mortui suavitatem admirabilem; odorem ineffabilem; virtutem delectabilem.  
Illi Christus Jesus est abjectum, *Esa. 53. 3.* *cadaver:*  
quia nullam, in Christi ignominia, gloriam; in Christi pugna, victoriam; in Christi crucifixione, redem-  
ptionem; in Christi sanguine, purificationem; in Christi morte, vivificationem; in ipsius descensu ad  
inferos, ascensum ad cœlos; in ascensu ad cœlos,  
triumphum maximum, tanquam in thesauro conti-  
neri credunt. Et ut homo ad *cadaveris* aspectum ex-  
horrescit; nares suas illius ad foetorem claudit; ce-  
lerrimo illud pede transit: eundem in modum in-  
creduli Christi mortem vilipendunt; oculos ab illius  
sigillis, in *S. Synaxi*, avertunt; sacramenta mortis  
Christi cum nausea prætereunt. Quod *cadaver*, cuius  
mors aliis est bonæ fragrantiae: illis est graveolentiae.  
Quod aliis sapit instar mellis: illis sapit instar fellis.  
Quod aliis præstantissimum est medicamentum: il-  
lis est acre venenum, ut suibus est unguentum ama-  
racinum. Ex quo *cadavere*, veluti fragrantissimo flo-  
re, pii, ut spirituales apes, mel eliciunt, hauriunt,  
colligunt: ex illo illi tanquam araneæ fugunt vene-  
num. Magis illi capiuntur *cadaverosis* mundi immuni-  
di voluptatibus, honoribus, divitiis, deliciis, quam  
Christo *cadavere*, optimo illo myrothecio, pretio-  
sissimo illo thesauro, voluptatis perpetuae fonte, per-  
ennis gloriae origine. O miseros! ô perditos! quæ  
enim refocillatio vera, absque hoc *cadavere* Christo?  
Quæ vita spiritualis & æterna, absque hoc *cadavere*,  
absque

absque Christi morte? Qui stabiles dignitates, absq; hoc *cadavere*, Christi abjectione? Qui perennes opes, absque hoc *cadavere*, Christi paupertate? In illo, in illo *cadavere* animæ obiectamentum, animæ nutrimentum, *Joh. 6.* reperitur.

2. Usus. *Admonitio.* Nihil, nihil, Charissimi fratres, sit nobis præstantius hoc *cadavere*, preciosissimâ Christi morte. Hoc *cadaver* desideremus; hunc cibum affectemus; hujus *cadaveris* succum, animæ potum flagitemus, *Joh. 6.14.* Quid enim sitim animæ extinguat, præter hujus *cadaveris*, crucifixi Christi sanguinem? *Joh. 4.15.* Quid famem animæ propellat, præter hujus *cadaveris*, crucifixi Christi carnem? *Joh. 6.* Adferamus ergo appetitum ad hoc *cadaver*, ad hunc animæ cibum & potum, nobis ut vergat in lætitiam & vitam, in nutrimentum & obiectamentum: advolemus ad hoc *cadaver*, ad mortis Christi merita, veluti ad convivium vini defæcati, pinguium, inquam saginariorum, *Esa. 25.6.* Et quemadmodum Capernitè dicebant: Domine, da nobis hunc panem, *Joh. 6.34.* Ita & nobis meritò ingemiscendum: O Deus, fruamur hoc *cadavere*, hoc cibo optimi succi & nutrimenti spiritualis. David panes à Nabale, ad corporalem famem propulsandum, desideravit, *1.Sam. 25.8.* Desideremus hoc *cadaver*, cibum ad spiritualem famem enecandum, aptissimum. Hoc *cadaver*, Jesum Christum crucifixum, in mortem pro nobis traditum, *Rom. 4.* In Sacra coena jam nobis oblatum, omnibus omnino mundi honoribus, divitiis, voluptatibus præferamus. Vilescant, fordeſcant nobis cun-

biscuncta, dignitate, suavitate suavissimi, dignissimi  
hujus *cadaveris*, pretiosissimæ Jesu Christi mortis. In  
hoc *cadavere* tripudiavit Abrahamus, Joh. 8. In illo  
& nos tripudiemus. Josephus hoc *cadaver* pura in-  
volvebat sindone, Matth. 27.59. Nos illud *cadaver*, Je-  
sus, pro peccatis nostris, mortuum puro corde, pura  
fide, optima illa sindone involvemus. Maria Magda-  
lene & aliæ mulieres advolarunt ad illud *cadaver* in-  
ungendum, aromatibusque includendum, Luc. 24.1.  
Nos hoc *cadaver*, Christum pro nobis mortuum, con-  
diamus aromate, cœnæ nostræ mortificatione, vitæ  
sanctimoniam, legis obedientiam, verâ gratitudine, sin-  
cerâ dilectione. Beata eris, anima mea, dilecta mea,  
hoc si feceris; ita, si *cadaveris* hujus præstantiam tru-  
tinaveris; ita, si *cadaveris* hujus fragrantiam affecta-  
veris: nam hoc *cadaver* pauperimæ animæ est ga-  
zophylacium; afflictæ solatum; tentatæ perfugium;  
ægræ remedium; famelicæ nutrimentum; infirmæ  
fulcimentum. Hoc *cadaver* afflictionum est antido-  
tum, & consolationum fundamentum. In hoc *ca-  
davere*, in Christi morte, cardo salutis nostræ verti-  
tur. In hoc *cadavere*, in Christi morte, origo peren-  
nis vitæ aperitur, Joh. 6. In hoc *cadavere*, in Christi  
morte vivificatio languentis animæ offenditur. In  
hoc *cadavere*, succus saccaro suavior; balsamo pretio-  
sior; Pellicani sanguine salubrior, nobis, sacra Syna-  
xi, offertur. Hoc *cadaver*, haec Christi mors nobis Sa-  
cra in coena obsignata, suo valore, suo odore nos ho-  
ra afflictionis reficit; nos in tristitia cordis erigit; nos  
in pugna mortis stabilit. O *cadaver* pretiosissimum,  
fragran-

fragrantissimum! O cibum suavissimum, efficacissimum! O quam beata eris, anima mea, hoc *cadaverem*, Jesu pro peccatis tuis mortuo, dum in S. coena frueris, uteris! Hæc de prima parte: Jam venit trutinanda;

## I I. P A R S.

*Quid de illa re afferatur.*

Notentur hic;

I. *Nomen rei.*

II. *Factum rei.*

III. *Locus rei.*

I. *Nomen rei* quod spectat, de qua hic aliquid asseritur, innuitur vocabulo *Aquilæ*. Licet Diabolus ille generis humani implacabilis hostis, & hominum dilaniator, apud Hoseam *aquile* comparetur; & sub persona Nebucadnezaris, apud Danielem, tyranni, *aquile*, propter authoritatem & crudelitatem ipsorum, assimilentur: tamen fideles, ob insignes quasdam qualitates, *aquile* venustè æquiparari possunt. *Aquilæ* è longinquo *cadavera* subodorantur, odore illorum instigantur; ad loca etiam remotissima pertenda, *cadavera* illa querenda; corpora sua illis reficienda: ita fideles fragrantia mortis Jesu Christi incitantur, ad Christum appetendum; Christum querendum; Christum amplectendum; Christum comedendum; Christo se reficiendum.

## D O C T R I N A.

Piorum, erga Christum, officium hic graphicè adiungatur.

RATIO I. Aquilis hic pii idcirco assimilantur.

z. Ut

2. Ut *Aquilæ ea oculorum est acies, ut perspicaciis videre possit, quam ulla alia creatura;* ita, ea est conditio fidelium, ut illuminati radiis S. sancti, ea videant, quæ alii nec videant, nec videre possunt oculis corporis. Illi in Christo redemptionem, salutem, gaudium, triumphum, gloriam, coronam aspiciunt, quæ alii aspicere nequeunt.

3. *Aquila nil suavius cadavere: fidelibus nil dulcius Christi mortis dignitate, Rom. 4.*

4. *Aquile comedunt cadaver, ut illis sit nutrimentum: fideles edunt ore fidei Christum, illis ut sit alimentum, Joh. 6.*

5. *Quemadmodum aquila nec senio conficitur, nec morbo extinguitur: ita fideles vitam in Christo possidentes, nec senii, nec morbi gravitate, Christi ab amore ac desiderio, ullo modo, avelli queunt.*

6. *Aquile sectantur cadaver, donec illo fruantur: ita credentes sectantur fidei alis Christum, donec illo utantur, Col. 3.1.*

1. *Usus. Correctio.* Ab quam pauci tales aquile reperiuntur! Vos quidem gloriamenti multa, ast ubi facta? Clamatis vos esse aquilas, sed cum rebus in diuinis, S. Cœnæ mysteriis, talpâ estis cœciores; estis tum aquilæ? Cum in tenebris ambulatis; cum nidos, insimis hisce terræ locis, extruitis; cum animum hisce terrenis affigitis; estis tum aquilæ? Dum Christū S. cœna oblatum non sectamini, dum illum nullo amore amplexamini; dum hujus cadaveris sanguine non delectamini; estis tum aquilæ? Minime, minime gentium.

250 D E S A C R A C O E N A  
genitium. Et cum non eritis aquilæ, senio debilitati,  
morbō enervati, mortis gladio mactati, miseri miser-  
rimè péribitis. O funestū vestrū statum! Sectemini,  
septemini ergo aquilas, hasce ut effagiatis miserias.

2. Usus. *Admonitio.* Simus aquilæ altivolantes,  
suprēma loca affectantes, in cœlo nidificantes. Simus  
aquilæ, & intueamur cadaver illud, Christum cruci-  
fixum, in S. cœna; intueamur, inquam, dignitatem  
istius cadaveris, Christi mortis incomparabilem; ef-  
ficaciam illius ineffabilem; nostram, in illo immor-  
talitatem desiderabilem. Instar aquilæ gustemus dele-  
tabilem hujus cadaveris suavitatem, *Psalms. 34.  
v. 9.* Affectemus salutarem illius sanguinem. Aqua  
limpida, ex petra percussa, pro Israëlitis effluxit, *Exod.  
17. 6.* Ex Christo percuſſo, cadavere pro peccatis fa-  
cto, gratissimus liquor, pro vero Israëlite, erupit,  
*1. Cor. 10. 4.* Delibemus instar aquilæ hunc liquorem,  
ut vivat nostra anima, & vireat nostra lætitia. O be-  
atos nos, tales si erimus aquilæ! Ut aquilæ enim Chri-  
sto, vero illo cadavere, fruemur: ut aquilæ, sub alis  
divinæ protectionis, in celsissimis locis, erimus tuti:  
ut aquilæ, alis fidei nos elevemus in altum: ut aquilæ  
acutum videbimus, in tenebris, nimis, lucem; in  
ærumnis, salutem; in tentatione victoriam; in morte  
vitam, *Pf. 36. 1. Cor. 10. 13. Rom. 8.* Instar aquilæ, nullum  
senium, nulla adversitas, nullus mortis impetus nos  
penitus interit, *Rom. 8.* Ô exoptatissimum fideli-  
um statum! Hæc de Nomine rei; Accingamus nos ad;

II. *Factum rei.* Factum aquilarum quod concernit,  
illud indigitatur hisce verbis: *Congregantur aquila.*  
Eò ten-

Eò tendunt, eò se recipiunt aquilæ, ubi cadaver suave-  
olens, cadaver illas reficiens reperitur. Nihil illas à  
cadaver absterret, non itineris longinquitas, non ac-  
ris asperitas, non laboris gravitas: ita fideles, nullo  
modo, à desiderio Christi morte fruendi, avelli que-  
unt. Nil evalet híc armorum strepitus; nil pollet híc  
adversariorum fremitus. Non gladii, non rogi; non  
minæ, non torturæ; non funesta fors, non acerba  
mors fideles à Christo abstrahere possunt. Congre-  
gantur aquilæ ubi cadaverum copia: Congregantur  
fideles animæ ubi mortis Christi efficacia. Congregan-  
tur aquilæ ductæ appetitu naturali: Congregantur fi-  
deles tracti appetitu spirituali. Congregantur aquilæ,  
ut nutriantur: Congregantur fideles, Christo ut fo-  
veantur. O suavissimam congregationem, quâ fideles  
suum offendunt nutrimentum, fulcimentum, oble-  
ctamentum! Quia congregatione Christo potiuntur,  
Christo uniuntur, Christo evchuntur!

## D O C T R I N A.

Hic unio & communio Christi & Christiani egregie  
adumbratur.

R A T I O. 1. Ubi cadaver Christus, ibi congregan-  
tur aquilæ.

2. Christus est sponsus, & fideles sponsa. Ille caput,  
fideles membra, Eph.5.23. Ille basis & fundamentum,  
fideles ædificium, Matth.16. Ille alimentum, fideles  
corpus nutritum, Joh.6. Ille vitis, credentes palmites,  
Joh.15.

3. Christus illos in communionem omnium do-  
norum & bonorum intromisit; illorum peccata &

pœnas in se suscepit, *Esa. 53.5.* *1. Pet. 2.24.* Pro illis legi & justitiae divinæ satisfecit, *Esa. 53.*

4. Christus peccatoribus facta est propitiatio, *I. Joh. 2.2.* cœcis illuminatio, *Luc. 1. 79.* vita mortuis, via seductis, *Joh. 14.* Justitiae veste ornavit nudos; suo corpore cibavit famelicos; suo sanguine potavit sitiulosos. Dux factus est illis peregrinantibus; lux illis caligantibus; medicina illis ægrotantibus; tutela pugnantibus; janua cœlum affectantibus, *Joh. 8. 31.* & 6.

5. In Christo credentes victoriosi, gloriosi, donis ditati, bonis ornati.

6. Illis læsis, Christus læditur; in illis affligitur; in illis deluditur, clamitans: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei, *Zach. 2.12.* Saul, Saul, quid me persequeris, *Act. 9.* Ne attingitote unctos meos, *Ps. 11. 105.* v. 15.

1. **U**sus. **R**efutatio. Ah! quam stolidi & inepti sunt illi, qui sibi somniant carnalem cum Christo conjunctionem, cum illa est mystica, spiritualis unio, communio, insitio, incorporatio, *Rom. 11.* Quâ ita congregamur tanquam aquilæ ad Christum illud cadaver, in S. coena, spiritus & fidei adminiculo, ut cum Christo unum corpus, una caro, unus sanguis siamus, *Joh. 6.* Ut ille sit cadaver nostrum, nostrum alimento; & nos corpus nutritum, ad quod corpus, ad quod cadaver manducandum, non requiritur dens, sed mens. Ad quod cadaver, corpus Christi crucifixum digerendum, non desideratur stomachus, sed fidei virtus; non naturalis calor; sed Christi amor.

Apage

Apud igitur Lutheranorum & Pontificiorum dogmata & deliria de corporali *congregatione*, unione cum Christo in S. Cœna.

2. Usus. *Correctio.* Multi h̄ic reprehendendi sunt. Nam nonnulli congregantur ad Ecclesiam, ad S. Cœnam, omnibus illis ex voto fluentibus: verū m̄ Christo illis instar cadaveris apparente; calamitate illos prementes persecutioe illos obruente, S. cœnæ ultimum vale dicunt, fidem Ecclesiæ datam rumpunt, Ecclesiæ gremium deserunt; Christi consortium subterfugiunt, Christum ludibrio, foedā apostasiā, aliis exponunt. Quamdiu, inquam, non cadaver, sed vivum corpus, Christus, cœco illorum judicio, corrūptōque sensui in victoriis, in triumphis, in pacis dulcedine, felicitatis ubertate, esse videtur, instar aquilarum, ad Euangelii prædicationem, ad S. cœnæ celebrationem, ad Christi communionem, congregantur. Ast, Christo in membris presso, crucis telis exposito, internectioni dato, instar cadaveris abjecto, paucas animas advertes aquilas, ad Christum congregantes, Christum affectantes, Christum exosculantes. O timorem! ô stoliditatem! nōnne tota salus ab hoc cadavere, à Christi morte dependet? nōnne vivā consolatio in hoc cadavere, in Christi crucifixione hæret?

3. Usus. *Admonitio.* Congregemur, congregemur, nos, fratres charissimi, instar aquilarum, ad hoc cadaver, ad Christum pro peccatis nostris immolatum, sacrificiis præfiguratum, sacramentis obsignatum. Congregemur in S. cœna, ad hoc cadaver, ubi animæ

cibus, ubi animæ potus reperitur; potus, inquam, utilissimus, cibus suavissimus. Congregemur ad hoc cadaver, ad Christum crucifixum, in S. Cœna exhibitum, fidei alis, fidei suspiriis; fidei etenim vinculo huic cadaveri unimur; fidei ei inserimur; fidei oculo illud intuemur. Congregemur ad hoc cadaver, in S. Synaxi, ita, ut fidei manu illud acceptemus; fidei ore manducemus; fidei stomacho concoquemus, in nutrimentum animæ nostræ immutemus. *Congregate vos Pastores, ad hoc cadaver, ceu amœna, saluberrima pascua, vestras oves, Psal. 23.* Congregate vos hospites, ad hoc cadaver, veluti gratissima, suavissima fercula, vestros convivas, *Esa. 25.* Congregate vos parentes, ad hoc cadaver, veluti veri gaudii principium, thesauri gazophilacium, honoris fundamentum, animæ convivium, vestros liberos, *Luc. 2. Rom. 8. Joh. 17.* Congregate vos Magistratus, ad hoc cadaver, ad Jesum Christum, tanquam pacis principem, *Esa. 9.* prosperitatis fontem, vestros subditos. In hoc toti sitis, vos Nutritii Syonis, ut vestri subditi, instar aquilarum, fidei alis, Christum petant, sublimia querant; ut congregentur ad hoc cadaver, ad merita, ad beneficia Iesu Christi; & ne congregentur tanquam vultures rapaces, ad cadaverosas aliorum opes, & ita fiant cadaverosa mundi, diaboli, inferni mancipia. *Percepto Aquilarum facto, intueamur iam illarum Locum.*

III. Locum, hunc textus noster innuit voculâ illuc. Aquilæ congregantur illuc, ubi cadaver, illarum cibatio, illarum recreatio ostenditur: illuc, ubi cadaver, odor illarum vitæ, sopor lætitia, ostenditur. Ita, ubi

ubi Christus electæ, diliçæ animæ cibus est, *illuc* & congregantur Christiani, quos Christus cibat, quos Christus potat, quos Christus refocillat, quos Christus defensat, ne cacodæmonis fraude, temptationis igne, mortis agone pereant. *Illuc* se conferunt fideles, ubi Christus illis turamine, solamine, levamine adest: *illuc* ubi in Euangelii prædicatione, in Sacramenti administratione reperitur. Ipsi fideles sèpè facti cadavera, ut hoc cadavere, Jesu Christi pretiosissimâ morte fruerentur; ipsi è terris in cœlum subvolarunt, ut fruitionis illius plenum sensum experientur. Fideles fidei alis tendunt *illuc*, ubi Christi carne & sanguine vescuntur, in naturam ipsius convertuntur, ita, ut illi vivant in Christo, & Christus in illis, una vita in alia, una lætitia in alia, non hîc tantùm, sed & in futura gloria. *Illuc* fideles congregantur, ubi Christus est, viva inde consolatio, ex illa arcta unione, sanctaque communione, ad ipsos ut fluat; odor vitæ hujus cadaveris ipsos ut reficiat; anima illorum illius fragrantia in eternum vivat. O dulcissimam parœmiam: *Ubi cadaver, illuc aquilæ!* Utinam hęc parœmia diligenter à nobis consideraretur, diligentius servaretur, diligentissimè applicaretur! Sed doctrinam inde emergentem trutinemus.

## D O C T R I N A.

*Unio fidelium cum Christo est indissolubilis.*

R A T I O. 1. *Illuc.* Nihil aquilas à cadavere avelere potest: ita nihil fideles, à dulcissima cum Christo unione, absterrere potest.

2. *Illa unio est indissolubilis, quia est cum Christo*

Deo & homine, facta à Spiritu sancto, 1. Cor. 12. 13.

3. Mons facilis dimoveretur, *Ez. 54. 10.* quām hęc  
unio dissolveretur. Ut foedus cum piis factum est  
aeternum; ita & hęc cum fidelibus unio est perpe-  
tua.

4. Illa unio est in immutabili Dei dilectione  
fundata; in Christi pretioso sanguine radicata; in au-  
xilio Spiritus S. firmata, *Matt. 28. Rom. 11.*

5. Ut nemo Christo oves eripiat, *Joh. 10.* ita nul-  
lus unionem hanc dirimat.

1. Usus. *Correctio.* Ab, charissimi auditores, pau-  
ci hoc perponderant! Multi enim libenter congre-  
gantur illuc, ubi cadaverosa hujus orbis bona; illuc,  
ubi cadaverosa honoris fastigia; illuc, ubi cadaver-  
osa carnis oblectamenta reperiuntur. Ast ubi gratissi-  
mum illud cadaver Jesus Christus, ubi Christi mor-  
tui merita, scalae ad coelestis honoris apicem; viæ ad  
perennis voluptatis scaturiginem; ad stabilis hære-  
ditatis possessionem, cernuntur, illuc nolunt con-  
gregari. Ubi Christus homines cibat, *Joh. 6.* ubi illos  
ditat; ubi illos oblectat; ubi illos honorat, illuc li-  
benter congregantur: Ast, illuc, ubi bonis exiuntur:  
illuc, ubi ædificiis expelluntur: illuc, ubi palis affi-  
guntur: illuc, ubi gladiis objiciuntur: illuc, ubi flam-  
mis exponuntur, ob cadaver hoc, ob Christi com-  
munionem, ob Christi famam, ob Christi amorem,  
non congregantur tanquam aquilæ, sed contemptâ  
hujus cadaveris dignitate, calidiora petunt loca tan-  
quam ciconiæ. O infidelitatem! Illi tandem congre-  
gentur illuc, ubi furorem diaboli sentient: illuc ubi  
factorem

ſætorem inferni olfacent: *illuc*, ubi mœrorem flentium cernent: *illuc*, ubi stridorem dentium edent,  
*Matt. 22.13.* Nam qui non cupit Christi esse particeps, ille inferni erit hæres: Et quem non oblectet mortis Christi virtus, illum excruciet fortis inferni virus; & *illuc* cadaverofa, vana, vefana, mundana cuncta fusse comperiet, lacrymisque innuet. Odolor!

2. Usus. *Admonitio.* Congregemur, charissimi fratres, *illuc*, ubi Christus reperitur. Nihil nos ab hoc dulcissimo cadavere separet. Aquilæ è longinquis locis congregantur *illuc*, ubi cadaver est: nos etiam à remotissimis locis congregemur *illuc*, ubi Christus est, animæ cibus est, *Joh. 6.* Ut aquilæ nullis parcunt laboribus, *illuc* ut esse possint, ubi cadaver est: ita & nos nullas molestias subterfugiamus, nulla pericula extimescamus; cum Paulo quidvis toleremus, *2 Cor. 12.* cum Petro mortem non formidemus, cum martyrum choro cadaver fieri haud recusemus, *illuc* ut esse possimus, ubi hujus cadaveris Christi mortis efficacia proponitur: *illuc*, ubi in S. cœna illius gratia percipitur: *illuc*, ubi pia anima illi unitur. Congregemur *illuc*, ubi hoc cadaver Christus est. Si non reperietur splendidissimis mundi locis, queratur *illuc*, ubi est, in abjectis Dei templis; Si non reperietur in urbibus editis, *Matth. 5.* queratur *illuc* ubi est in speluncis abditis, *Apocal. 12.* Non refiliamus à sancto nostro proposito hoc cadaver querendi, Christum appetendi, Christi morte fruendi. *Illuc* congregemur, ubi S. cœna celebratur: *illuc*, ubi illud donatur: *illuc*, ubi id animæ applicatur. *Illuc* congregemur, ubi

docetur, quemvis Christianum cadaver fieri, & Christo commori: cadaver fieri, mundo & immundo valericere: cadaver fieri, & veterem Adamum intermere oportere, Rom. 6. Gal 5. Si Christi morte uti, frui ad salutem exoptet.

2. Usus. *Consolatio.* Sed quas ego hīc audio querelas? Quas ego hīc video lacrymas? Ego (clamitant nonnulli afflīcti) hoc cadaver Jesum Christum pro me mortuum, in S. cœna, quæsivi, & in illo perfugium, solatium; consilium, auxilium; gaudium, triumphum, sed nullum heu! inveni. Nullum, inquam, contra bellorum æstum, refrigerium; contra diabolorum astum, consilium; nullum solatium, pro me desolato; nullum oleum, pro me vulnerato. Absconditus, pro me, est dulcissimus meus Jesus animæ meæ dulcor, vigor; cibus, potus. Acerbissimè, fateor, mi frater, sunt illæ tentationes, sed in illis, hoc solamine te sustentes, Christum corporis, non fidei oculis esse absconditum; & sàpè non illuc, ubi putabas, offendì ad votum, ut magis augeatur tuum desiderium; ut majori cum ardore saluberrimum illud cadaver expetas, inventum majori cum voluptate arripias, & tanquam incomparabilem thesaurum animæ capsula includas. Infestat te mundus? Oppugnat te Diabolus? Consolare te afflīcta anima, quod illuc congregeris in cœlo, ubi non amplius molesteris nec à Diabolo, nec à mundo. Quemadmodum aquile in celsis nidos suos extruunt locis: ita & tu, pia anima, nidum tuum ædifices in altissimo cœlo. Ut aquile sublimia semper petunt: ita tu mœsta

mœsta anima, ad suprema fidei alis migres loca, ut  
hoc pacto, in armorum strepitu, tranquillitatem; in  
bellorum æstu, refectionem; in persecutione, asylum;  
in morte, perfugium habeas; habeas, inquam, sua-  
vissimum tuum cadaver, Christum pro te crucifi-  
xum, quo saturari famelicus; oblectari mœstus; re-  
focillari languidus poteris; in quo Christo tua etiam  
est prosperitas, voluptas; vita, gloria. O beatam ani-  
mam, illuc, in S. coena, se ad Christum congregan-  
tem, Christum gustantem, Christo se saturantem,  
Christo se oblectantem! Hæc, de postremo mem-  
bro, me dixisse sufficiat. Audivistis: I. De quare  
hic differatur. II. Quid dñe illa afferatur.

## E P I L O G U S.

Quo dicto aureo, aurei hujus dicti enucleationem,  
terminemus? Salvator, hujus dicti author, in hæc  
ponderosa prorumpit verba, Matth. 6. 21. Nam ubi est  
Thesaurus vester, illic etiam erit cor vestrum. O nobile  
nobilissimi effatum totius concionis compendium!  
Ubi cadaver, aquilarum thesaurus est, ibi etiam illa-  
rum cor, desiderium est. Ubi Christus noster thesau-  
rus, cibus est, ibi nostrum quoque sit cor, vota ibi  
sint nostra, desideria ibi sint nostra, jam noster the-  
saurus Jesus Christus æternam ingressus vitam coeli  
possidet gloriam, Patris sui ad dextram. Cor itaque  
nostrum, in S. Synaxi, non pani & vino, Jesu Christi,  
pro peccatis nostris, mortui, signis & sigillis sit affi-  
xum, sed fidei alis editissima celi cœlorum petamus  
loca, ipsi, lacrymarum hac valle, ut uniamur, illo ut  
fruamur, illo ut reficiamur. Beati, hoc si præsliteri-

rimus ! Christus, in S.cœna, nobis erit cadaver ju-  
cundissimum, ferculum præstantissimum, fulcrum-  
firmissimum. Et ipsi ita uniti, ab hac cœna, ad ma-  
gnam illam, Matth.8. commigremus, ad plenissimè  
Christo potiendum, ita, ut ille in nobis, & nos in-  
ipso simus ; dignitas in dignitate, voluptas in volu-  
ptate; & illud in triumpho & gaudio, gloria & vitâ  
aeternâ, ad quam, nos indignos, dignissimus omni  
honore Iesu, Dux salutis, Lux felicitatis nostræ; du-  
cat, nobisque præluceat, laudandus, amandus in se-  
cula seculorum. *Amen, Amen, Amen.*

## C O N C I O V I I I .

## T I T U L U S .

## Spirituale Piorum Ornamentum.

T E X T U S . Luc. Cap. 14.

Vers. 22. *Dixit vero pater ad servos suos, proferte stolam illam præcipuam, & induite eum, & indito annulum in manum ejus, & soleas in pedes.*

## E X O R D I U M .

**N**on delector morte morientis, dictum Domini Ieho-  
vi: avertite itaque vos, & vivite, Ezech. 18.32.  
Verissimum enim est Deum non delectari morte pecca-  
toris: quia Deus peccatorem objurgat, informat, ca-  
stigat, ut à peccatorum deviis, à vitiorum spinetis,  
in regiam virtutis & salutis viam reflectat. Huc illæ  
spectant lautissimæ Dei promissiones, dulcissimæ in-  
vitaciones, fortissimæ consolationes, ut peccatores,  
agnitis & spretis peccatis, virtutes amplexentur, di-  
vina

vina mandata exosculentur, Deum venerentur. Huc pertinent illæ gratiæ Dei flumina, & iræ suæ fulmina,  
*Deut. 28.* ad indurata peccatorum pectora emolliendum, frangendum, liquefaciendum, *Jer. 23.* Huc respiiciunt legis fel, & Euangelii mel; angustiæ stimulus & conscientiæ aculeus; divinæ benignitatis lux, & infirmæ carnis crux. Quid non illi Dei charissimi servi; illæ veritatis tubæ; illæ pietatis flammæ; illæ omnipotentis minæ tentarunt, homo averlus ut converteretur; seductus ut reduceretur; impudicus ut sanctificaretur? Hoc prælecto textu, veluti speculo, apparet, quo Deus filium degenerem regenerat, nudum ornat, seductum revocat. Quoniam benignissimus Deus, in S. cœna, talia tantaque in nos confert beneficia, textum hunc temporis huic accommodabimus, per pensuri tres hasce principales partes:

- I. *Quis hic aliquid mandet.*
- II. *Quibus ille aliquid mandet.*
- III. *Quid illis mandet.*

### V O T U M .

O Pater luminum, & miserationum, refice nos miseros peccatores dulcedine gratiæ, induæ nos stolam justitiae ad nominis tui laudem, & nostri salutem. Amen, Amen, benignissime pater, Amen.

### I. P A R S.

#### *Quis hic aliquid mandet.*

*Dixit vero Pater.* *Dixit non in ira, sed gratia; non ut terreat filium, sed alliciat; non ut puniat filium, sed reficiat.* *Dixit blandè, dixit paternè, ut lingua testaretur de benevolâ ipsius animâ, erga filium ha-ctenu-*

Etenuis perversum, jam verò conversum; erga filium lascivum, jam verò modestum. Per hunc patrem Deus, fons paternitatis, affabilitatis, liberalitatis, indigitatur. Ille blandus, ille benignus est erga peccatores pœnitentes; illius lingua, illorum est medicina; illius facies, lætitiae illorum est fax; illius sermo, illorum est recreatio. *Ille dicit*, ut efficiat, ut afficiat: *ille dicit*, utillos convertat, & malum ita evertat: *ille dicit*, ut recreet illos & ornet. O dulce alloquium!

## D O C T R I N A.

*Deus afflictorum peccatorum ad ipsum consigentium miseretur.*

RATIO. 1. *Pater verò dixit*, adamorēm suum erga miseros conversos peccatores, exprimendum.

2. Hinc Dei vota, misericordiæ illius testimonia, *Psal. 81.14.* O si populus meus auscultasset mihi, si Israëlite in viis meis ambulassent. Hinc Dei encomium, *Psalm. 103.8.* Misericors & gratiosus Jehova, & multus benignitate.

3. Illos cœcos illuminat; lápsos elevat; infirmos corroborat; seductos revocat, *Psal. 144.14.*

4. Illis peccata magna, multa, gravia condonat; peccata illa abyssō misericordiæ suffocat, *Mich. 7.* Illa instar nebulæ profligat, *Esa. 44.* Illa æternę oblivioni mandat.

5. Illos impuros mundat; illos regenerat; illos sanctificat, justificat, glorificat.

6. Hoc quām plurima exempla luculenter evin-  
cunt, quæ hujus divinæ benignitatis sunt specula.  
Prodeat hīc filius prodigus; hunc sequatur Petrus;  
huic

huic se adjungat Apostolus Paulus: Nónne illi uno ore fateri coguntur Deum esse ipsam charitatem, benignitatem, voluptatem peccatorum conversorum?

I. Usus. *Correctio.* Quare, ô homo! ô peccator! hunc *Patrem* non agnoscis? Quare hunc *Patrem* non colis? Quare hunc *Patrem* non quæris? Quare blandam hujus *Patris* linguam, in prædicatione Euangeli, non audis? Quare serenam hujus *Patris* frontem, in administratione S. cœnæ, non aspicis? Filius prodigus, se mœstum suo *Patre* refocillat; se famelicum suo *Patre* recreat; se languidum suo *Patre* confirmat. Ad suum *Patrem*, veluti asylum & solatium; penuarium & vestiarium; clypeum & gaudium, volitat. Et tu ô miser, ô nude peccator, te aspectui hujus *Patris* coelestis, cum Eva & Adamo, Gen. 3.8. cum maledicenti & desperato illo Caino, Gen. 4.16. subducis. Ille *Pater* te serenâ fronte, blando ore, in Sacra Cœna, aspicere, reficere, informare, salutare, est paratissimus; & tu, ô vane & vesane, illum *Patrem* contemnis; liberalitatem illius respuis; sigilla illius fœderis negligis. Tu aures, ad dulcissimas illius promissiones, occludis, Psal. 58. Tu oculos, ab amoris illius signis, avertis; Tu illius Nectar, & Ambrosiam rejicis. O impietatem! Quid ille *Pater* tibi tandem faciat? Animum suum *paternum*, blandum, in austrum; *paternum*, gratiosum, in iratum; *paternum*, benevolum, in malevolum commutaturus est. Ut ipsum, non *patrem*, sed judicem; non *patrem*, sed carnicem; non *patrem*, sed hostem sis aspecturus; ut ipsum, non *patrem* defensorem, sed oppugnatorem; non *patrem*, consola-

consolatorem, sed afflictorem; non patrem allevato<sup>m</sup>rem, sed suppressorem sis habiturus. Peccatorum pondus, suppliciorum onus, coena sulphurea, mœstitia æterna te prement, utinam te opprimerent, pœnis te ut eximerent! Quām fœlix es es peccator, Patrem cœlestem si amates, coenam illius si affectares.

2. Usus. *Admonitio.* Hujus jam Patris, charissimifratres, misericordiam; Sacra in cœna significata, obsignatam desideremus, ut infans, matris mammam; ut cervus fluminis aquam; ut peregrinus, consanguinitatis coronam, impensè desiderat. Nam hic benignissimus cœlestis noster Pater dicit, Sacra in cœna illa, quæ nos languidos restaurant: dicit illa, quæ nos tentatos arniant. Verba enim hujus Patris, in Sacra cœna, ad nos proleta, mera arma, medicamenta, oble<sup>m</sup>camenta ærumnosę, ægrę, tentatę sunt animę. Afluamus, in S. Synaxi, ad hunc Patrem, cuius oculi, nostra solatia, Psal. 10. cuius Patris manus, nostra penuaria, Psal. 144. 16. cuius Patris verba, nostra remedia, Psal. 119. cuius Patris brachia, nostra victoria sunt, Psal. 118. Hujus Patris misericordia nostra suffocantur peccata, ut scintilla maris in abyssō; nostra occultantur crimina, ut littus æquoris cumulo. Hujus Patris benignitas, instar fontis, temptationis æstu, nos refocilat; instar scipionis, peregrinationis cursu, nos confirmat; instar luminis, ambulationis statu, nos illucstrat. Hic Pater gratiā suā nos prævenit, nobis aberrantibus pepercit, Joel. 2. 18. nos gratiā suā suffulcit, 1. Pet. 1. 5. Nos mundi inquinamenta sectantes regenerat,

*rat, Ezech. 36.26. Nos tandem æternâ gloriâ coronat,*  
*Rom. 6. Ad hunc ergo Patrem, nos, in S. Synaxi, con-*  
*fugiamus, ut ingenui liberi consucvère configere*  
*ad suos patres. Liberi confidunt patri, & nos confi-*  
*damus cœlesti Patri. Liberi miseriis involuti, patris*  
*poscunt opem, & nos angustiis impliciti, Patri hu-*  
*jus poscamus opem, Esa. 64. 2. Quidni? Nónne nos,*  
*hic Pater, S. cœnæ celebratione, ad se, promissionum*  
*amplitudine, bonorum ubertate, consolationum*  
*suavitate allicit? Amoris sui fune trahit? Spiritus sui*  
*manu dicit? Necessitate propria impellit? Quid er-*  
*go tergiversemur hujus Patri, S. in Cœna, fidei ocu-*  
*lis intueri faciem, nostram salutem: hujus Patri con-*  
*templari foedus, peccatorum virus: hujus Patri fœ-*  
*deris meditari signacula, misericordiæ ipsius specu-*  
*la: hujus Patri venerari fercula, gratiæ ipsius pigno-*  
*ra? Audivistis, qui h̄c aliquid mandat; Jam peni-*  
*culanda venit;*

## II. P A R S.

*Quibus aliquid mandat? Servis suis.*

*Dixit enim ad servos suos, quos sui amoris voluit*  
*admiratores; ad servos suos, quos sui favoris voluit*  
*adoratores; ad servos suos, quos sui muneris voluit*  
*celebratores. Dixit ad servos suos, quibus filium mœ-*  
*stum gestivit recreare, nudum ornare, famelicum ci-*  
*bare: Ita Deus Pater dixit ad servos suos, quibus verita-*  
*tis thesaurum, pacis Euangeliū, amoris mysterium*  
*aperuit, concredidit. Istis suis servis immorigeros ad*  
*se allicit, moestos reficit, nudos vestit, famelicos nu-*  
*trit, non quoad copus tantum, sed in primis quoad*  
*animam*

animam, quâ vivente, quâ virente, quâ nitente, & corpus niteat, vireat, vivat.

## DOCTRINA.

*Deus, homines per verbi sui ministros ad salutem perducit.*

RATIO. 1. *Ad servos suos dixit de filio suo ornando, cibando, recreando.*

2. Illi legati summi Regis, 2. Cor. 5. 20. illi nuncii pacis, Esa. 52. illi ministri veritatis; illi medici cordis; Illi vineæ cultores, Matth. 20. Animæ informatores. Illi sol hominum, illi sal gentium, Matth. 5.

3. Per istos verbi sui ministros, Deus viam vitæ hominibus aperit; ex profunditate maris illos trahit; ex abysso, inquam, iniuitatis producit, Luc. 5. faciem Euangeli illis accedit.

4. Hinc illa vox Joëlis: convertimini ad me ex toto animo vestro, & jejunio, & fletu, & planctu. Revertimini ad Jehovam Deum vestrum, quia gratus & misericors est, Joel. 2. 12. 13. Et Zach. 1. 4. Revertimini jam à viis vestris pessimis, & ab actionibus vestris pessimis. Quid referam de Jeschahia intonante illud: Lavate vos, purificate vos, amovete malignitatem actionum vestrarum ex adverso oculorum meorum, desinite malefacere, Esa. 1. 16. Quid edisseram de Jeremia clamante: Auscultate vocem meam, ut faciatis ista omnia prout præcipio vobis, Jer. 11. 4. Audite Paulum intonentem illud: reconciliemini Deo, 2. Cor. 5. 20. Audite Petrum ebuccinantem illud: Succincti lumbis mentis vestræ sobrii, 1. Pet.

I. Usus. *Correclio.* Sed, ô deplorata tempora! ô perversos mores! Multi *servos hosce contemnunt*; aures, illorum ad monita, claudunt, *Pſ. 58.* S. cœnam respuunt, *Luc. 14. 18.* Chariores illis sunt *servi carnis*, quām hujus cœlestis Patris: *servi diaboli*, quām Dei; *servi mundi*, quām cæli. Quando diaboli *servi*, illæ dvitiae, illæ carnis deliciae; voluptas illa, ebrietas illa, ad peccata vocant, illectant, instigant, prompti, parati que sunt, horum ad nutum: sed quando *servi* Dei, Patris cœlestis misericordiam erga conversos filios prodigoꝝ, graphicè, ad movenda peccatorum. peccatora, convertenda illorum corda, depingunt, autes, animosque obdurant & obturant. *Servus* Dei Samuel Heli erat gratus, *i. Sam. 3. 8.* quamvis ira divinæ erga ipsum proferret fulmina, & tu, ô peccator, *servos* gratiæ Patris cœlestis effundentes flumina, *Pſal. 103. 3.* contemnis. Satanæ *servi* tibi solum; Dei *servi* cælum: illius *servi* fluxa, hujus *servi* fixa; illius *servi* porcos; hujus *servi* Angelos, promittunt. Satanæ *servi* tibi tormenta, Dei Patris *servi* oblectamenta; illi tibi ignominiam, hic gloriam: illi tibi flammarum, hic concomam: illi tibi furoris fulmina, hic favoris flumina; illi tibi supplicia, hic oscula tibi adferunt. Si jam diaboli *servos*, Dei Patris servis præferes, non sapiens, sed insipiens es. Si mundum cælō anteponis, non Christianus, sed Gergesanus es, *Matt. 8. 28.* Si soli delicias cæli epulis præfiges, non sanctus, sed Æsopi porcus es. O dementiam! hæc qui faciet, Patris cœlestis gratiam parvipendet, salutem suam negliget, in miseria rum lernam se conjicet...

2. Usus. *Admonitio.* Sint vobis, chari servorum Patris cœlestis pedes, invitationes. Nam illi servi pacem Patris vestri vobis annunciant, *Esa. 52.7.* illi servi conciliationem vestri, cum Patre vestro, procurant: illi servi viam salutis vobis monstrant. Irâ Patris digni, & isti servi in S. cœna, Patris cœlestis gratiam; poena digni, & isti servi illius amicitiam; ignominia estis digni, & isti servi illius gloriam vobis annunciant, confirmant. Sint ergo, apud vos servi isti pretiosi, ob preciosam Patris benignitatem; chari, ob charam Patris liberalitatem, quam vobis S. Synaxi offerunt. Nonne gratissimi essent futuri servi captivis libertatem, misericordis felicitatem; cœcis lumen, sitibundis flumen; de spectis gloriam, egenis opulentiam, prædicantes? hi servi, Dei ministri, in S. Cœna, vobis captivis, libertatem; vobis cœcis, illuminationem, *Joh. 8.* gloriam, vobis contemptis; abundantiam, vobis egenis annunciant, confirmant. Quid suavius horum servorum vocem, Patris cœlestis amorem, favorem, spirante? *Alludistis: Quibus Pater aliquid mandat;* Audiamus;

## III. PARTEM.

*Quid illis mandat: Respectu:*

I. Totius filii sui corporis. II. Partium corporis.

I. Respectu totius corporis, mandat ille Pater suis servis, ut filium suum ornent: Ubi notanda:

I. Ornatus illius præparatio.

II. Ornatus illius applicatio.

I. Ornatus illius præparationem quod spectat obser vetur:

I. Ipse ornatus. II. Qualitas ornatus.

I. Ipse

I. *Ipse ornatus hisce consistit verbis: Proferte stolā.*  
 Pater filium nudum aspicit oculo benigno, ita, ut ilius nuditatem tollere, & ita filium extollere voluerit, ut filium tegere, & ita amorem suum, erga filium detegere gestiverit. *Proferte, inquit, stolam, vestem non vilem, sed excellentem; proferte meo ex vestiario, mea ex munificentia: ita Deus cælestis Pater, miseros peccatores nudos, omni gloria exutos, omni excellentiâ destitutos, paterno intuitus est oculo, ita, ut illos ornare, illos glorificare decreverit; ut ex immenso, & inexhausto amoris thesauro, vestem pretiosissimam, filii sui unigeniti justitiam, proferendam voluerit. O amorem! o liberalitatem!*

## D O C T R I N A .

*Deus, merā ex gratia, peccatores miseros, nudos, ornavit.*

R A T I O I . *Proferte stolam, mera ex gratia: quæ enim hīc filii esse possent merita?*

2. *Quid nudi mercantur? Nudi, per defectionem: nudi, per legis transgressionem: nudi, per justam punitionem.*

3. *Deus illos nudos salute induit, Psal. 132.16. Illos pallio justitiae vestivit, Esa. 61.10. Auro & argento illos ornavit, Ezech. 16.13. Pudorem illorum occultavit, ex merā misericordiā.*

4. *Quod Dei justitia vestimentum abstulit; illud misericordia Dei restituit, & ita nudum peccatorem vestivit.*

5. *Deus misertus est nuditatis illorum, Ezech. 16. hinc illa ornamenta, amoris divini documenta, Ezech. 16.10.11. 12.13.*

1. *Usus. Correctio.* Quanta illorum est seges, qui hanc *stolam*, Christi justitiam, in prædicatione Euangelii, in administratione sacramenti, per Dei servos *prolatam*, *oblatam*, *recommendatam*, respuunt! Qui pluris ducunt *stolam mundi*, quam Christi, *stolam iniquitatis*, quam probitatis, *stolam nequitiae* quam *justitiae*. Quid sunt *stole Regum*, respectu hujus *stole*, per Christum nobis comparatae, *oblatae*, datae? vestes *fordidæ*, *squalidæ*. Illi mundi Monarchæ, absque hac Patris cœlestis *stola*, Christi *justitiæ*, nudi, ultimo illo censorio die apparebunt. Nihil hîc evalebit Salomonis externus *stole* valor; Regis Demetrii *stole* splendor; Alexandri illius magni vestium *decor*. Quia non externum, sed internum Deus Pater desiderat ornatum, *Ps. 45*. Non corporis, sed cordis affectat vestitum. Non aurum *stole*, sed amictum æstimat animæ: hoc qui caret, nudus ille apparet. Nulla hîc vellera, nulla hîc tegmina; nulla hîc Adami folia aliquid pollent, ad palliandum spiritualem hominis nuditatem. Væ tibi hâc *stolâ* destituto! *Apoc. 3.17*.

2. *Usus. Admonitio.* Gratias agamus Deo Patri, pro ineffabili benignitatis thesauro, pro vestimento nobis donato; pro *stola*, qua nos ornavit; pro justitia, quam nos beavit. Hâc *stola* ornati tunicam à carnis contactu maculatam odio habeamus, *Jude ep. v. 23*. omnia spiritualia inquinamenta fugiamus. Novam *stolam* induiturus mundatur: *stolam* hanc animæ suæ accommodaturus lavacro regenerationis intingatur, *Tit. 3*. Filio frugi vestis à Patre accepta est acceptissima: Nobis hæc justitie *stola*, à Patre cœlesti oblatæ, sit charissimæ.

charissima. Liberi, ob novas acceptas vestes, exsultant: Exsultemus, præ lætitia, nos nudi natura, ob elegantissimam nobis à Patre donatam *stolam*, cantilantes illud *Esa. 61.10.* Omnipotens gaudeo in Jehova, exsultat anima mea in Deo meo, quia induit me vestibus salutis, pallio justitiae amicavit me: tanquam sponsum qui administrat ornatum, & veluti sponsam ornantem se instrumentis suis. Liberi bonæ indolis, sumptus Patris, in comparandis istis vestibus, non nunquam trutinant: Nos, in S. cœna, pretium maximum, unigeniti filii sanguinem effusum, quo nobis hanc *stolam* acquisivit, perponderemus, *Act. 20.* Liberi in donatis à patre vestimentis formosiores apparent: ita nos revera, pulcherrimi, in hac *stola*, apparemus. In pretio apud nos sint servi isti pretiosi, per quos Patri nostro visum fuerit, in Euangelio & sacramentis, hanc *stolam* proferre, & ita nos effere: non igitur hanc *stolam* peccatis polluamus, sed impollutam custodiamus. Liberi ingenui vestes novas servant: servemus hanc *stolam*, scrinio cordis, fidei capsula, ne infernales isti fures nos illâ spolient. Fac interim, ô benignissime Pater, hac *stolâ* nihil nobis sit pretiosius, charius, purius. Absint, absint, & procul ab hac *stolâ* vitiorum maculæ absint. Illâ *stolâ* amicti, ô Pater, fac ultimo judicio, coram tua majestate, compareamus, & ad magnam beatam illam cœnam curramus, *Matt. 8.* Haec de ipso ornatu: Jam ponderanda venit;

I L. *Vestitus qualitas.* Illa hisce innuitur verbis: *Illam præcipuam.* Nam Pater filium non tantum ad necessitatem, sed etiam ad dignitatem desiderat ornare,

ideò præcipuam vult adferendam stolam: præcipuam, ut  
aperiret munificentiam. Non nuda tantum filii mē-  
bra vult occultanda, sed & illa ornanda, non vulga-  
ri, sed peculiari veste, amoris paterni teste. Ita Deus  
benignissimus Pater, extraordinariè miseros peccato-  
res ornat, præcipuâ stolâ, Christi justitiâ: præcipuâ sto-  
lâ, præcipua illius ut innotesceret gratia.

## DOCTRINA.

*Deus peccatores conversos splendidissimè ornat.*

RATIO 1. *Præcipuam stolam hic Pater pro filio  
suo poscit.*

2. Lautè Deus peccatores pœnitentes ut tractat,  
ita & illos splendidè ornat, *Ezech. 16.*

3. Deus voluit non hominis tantum occultare nu-  
ditatem, sed suam in primis demonstrare liberalita-  
tem.

4. Nuditas & contemptus illorum erat maximus;  
idcirco Deus illorum gloriam vestitu spirituali elu-  
centem, maximam esse voluit.

5. Ditissimus est Deus, qui potest, liberalissimus  
est, cui libet suos splendidè amicire.

6. Qui flores ita vestit, *Matt. 6.28.* nonne ille ho-  
mines elegantissimè vestiret? Qui, inquam, campi li-  
lia ita ornat, nonne ille filii membra splendidissimè  
ornaret?

7. Qui serico corpus condecorat, nonne ille ani-  
mam nonnullorum condecoraret?

8. Huc spectant illa dicta, *Esa. 61.10. Ezech. 16.11.12.13.*  
vestimentum tuum fuit xilinum & sericum, ac verbi-  
color. Et *Ps. 45.14.* Tota honorata filia regis intrò, fun-  
dis aureis vestita.

I. Usus.

1. Usus. *Corre&atio.* O deplorandum multorum statorum, qui ad hunc cælestem Patrem S. in cœna, non confugiunt ! illi non stolam hanc præcipuam, sed vulgarem sunt accepturi, quæ piscibus est squamarum copia ; quæ avibus plumarum abundantia; quæ ovi-bus est lana; aliis animalibus pilus & pellis; homini-bus amictus & cutis. Sed illâ præcipuâ stolâ, Christi justitia, vera sanctitate, vera pietate illi carent. Et licet auro argentoque fulgeant, hac præcipuâ stola de-stituti nudi habentur. Nam hujus præcipuæ stolæ respectu, illorum vestes sunt pestes; illorum stolæ, vani-tatis sæpè magistræ, calamitatis scatebrae; illorum gemmæ, maculæ; illorum ornamenta, stercora. Nihil commodi ex vestris stolis, absque hac præcipua spiri-tuali stola, justitia, accepturi estis. Nonne Abschalon, sua stola, querui est affixus ? 2. Sam. 18. 10. Nonne E-glon, sua stola, est interemptns ? Jud. 3. 21. Nonne Haman, sua stola, est suspensus ? Esth. 7. 9. Nonne He-rodes, sua stola, est occisus ? Act. 12. 21. 23. Nonne ille hospes, sua stola ejecitus ? Matth. 22. 13. Hæc stola, mi-homo, appetenda; Christi justitia petenda est, qua non egebis, sed vigebis : tua stola, ornat corpus; hæc præcipua stola cor: tua stola, contra aëris impe-tum, corpus defendit: hæc præcipua stola, contra mor-tis insultum, te totum protegit. Hæc præcipuâ stola de-stitutus, tortoribus tradaris, Matth. 22. 13. Ut in æternum torquearis. O calamitatem !

2. Usus. *Admonitio.* Hanc præcipuam stolam, desideremus; hac ornati Sacram cœnam frequente-mus; Hac præcipuâ stola, coram sponso nostro Jesu-

Christo, nos præsentemus: hac præcipuâ stola, seu  
veste sacerdotali, Deo nostro Patri hostias precum  
immolemus: hac præcipuâ stola, seu veste propheti-  
ca, sacra, sacro in convivio, tractemus. Hac præcipuâ  
stola, Deo nostro, sacra cœna, gratioreis erimus, quâm  
Esau erat Patri suo Iсаaco fragrantissimis suis vesti-  
mentis, Gen. 27.29. Hac præcipuâ stola moriendum,  
si diabolus vincere: hac præcipuâ stola quiescendum,  
si gloriösè resurgere affectemus. O egregiam stolam!  
Beata es anima mea, hac dum eris ornata. Maximas,  
ô anima, ô dilecta mea, gratias Deo Patri debemus;  
quod nos hac præcipua stola, maxima gloria, veris  
deauratis, pretiosissimis ornamentis dignatus est or-  
nare. Præcipua, inquam, hac stola; præcipuo animæ  
decore; præcipuo corporis tutamine; præcipuo utrius-  
que solamine. Hæc de vestitus qualitate sunt dicta;  
Per ponderanda venit;

II. *Vestitus applicatio. Et induite eum.* Applicate  
stolam hanc præcipuam, vestem hanc splendidam,  
filii mei tergo, pectori, totique ejus corpori, ut illâ  
ornatus, non amplius ut mendicus, sed opulentus  
apparet; nobili hoc vestitu niteat; pretiosa hac stola  
incedat; cuivis meam liberalitatem aperiat: ita  
Deus, cœlestis Pater, misericordia peccatoribus stolam ju-  
stitiae applicat, per servos suos induendam curat; utili  
antea miseri, beati; nudi, ornati; abjecti, honorati  
conspiciantur. Ut illi hac præcipua stola amicti, so-  
lo, cœlo, piis Angelis venerabiles, amabiles existant,  
Patrisque cœlestis benignitatem efferant.

D O C T R I N A.

*Dei be-*

*Dei beneficia, misericordia peccatoribus, per ministros ecclesie, sunt applicanda.*

R A T I O I . *Induite eum.*

2. *Applicatio divinorum beneficiorū peccatori-  
bus poenitentiam agentibus est necessaria, est enim  
illorum scopus & usus; anima & medulla.*

3. *Ut cibus, famelico; baculus, claudio; vestitus,  
nudo nihil commodi, absque applicatione, appor-  
rat: ita benignitas Dei, peccatori, nihil utilitatis, sine  
applicatione procreat.*

4. *Idcirco omnes fidelissimi Dei ministri, bene-  
ficia ipsius illis applicuerunt. Esaias clamat: Nobis  
natus, nobis datus est filius, Esa. 9. Paulus ebuccinat  
illud: Nos elegit, in Christo, ante jacta mundi funda-  
menta, Eph. 1. 4. Nos sanctificavit, Rom. 8. Christus no-  
bis factus est à Deo iustitia, 1. Cor. 1. 30. Petrus intonat  
illud: Qui nos à tenebris vocavit ad admirabilem suā  
lucem, 1. Pet. 2. 9.*

5. *Absque hac applicatione Dei beneficia misero  
peccatori sunt instar nucis, sine nucleo; instar solis,  
sine splendore.*

I. *U s u s . C o r r e c t i o .* Multorum hīc damnanda  
est impietas, qui nolunt hac stola *indui*. Servi Dei  
illos hac stola induere satagunt: sed illi pluris faciunt  
mundi, quām Dei stolam. Malunt mali isti vestimen-  
tis vanitatis vexillis; levitatis indicis; inquitatis ma-  
gistris *indui*, quām Christi meritis, Christiani deaura-  
tis; pietatis documentis: quām castitate, sanctitate, so-  
brietate, pii indicis, 1. Pet. 3. 2. Tit. 2. 12. Qui nudus ve-  
stes oblatas *induere* respuit, is se hominis opprobrio,

mortis telo objicit : ita & illi, qui nolunt hac stola *indui*, dedecori & morti obtrudentur. Nudi solis radiis aduruntur : hac stola destituti flammis inferni torqueantur. Nudi à muscis infestantur : hac stola non *induti* à diabolis pungantur : Nudi facile læduntur : hac stola non *induti*, facillimè quoad corpus & animam lædentur. Quām funestus jam illorum est status, qui nolunt hac stola *indui*, nam illi ultimo iudicio compareant nudi !

2. *U s u s.* *Admonitio.* Vos, auditores, vos fratres, maximo habete in pretio Dei Patris vestri servos, vos *induituros* stola percipia : vos *induituros*, non tunica variis coloribus enitente, *Gen. 37. 3.* Sed stola egregiis virtutibus splendente. Esther, splendidissimis ornata vestibus, Regis subibat vultum, *Esth. 2. 16.* ita & vos, coram Patre vestro cœlesti compareatis *induti* præcipua stola, meritis Iesu Christi. Bene vestiti ad nuptias recipiunt : ita vos stolâ justitiae *induti* ad sacram convivium prodeatis. Veste nuptiali amicti Regi isti erant accepti, *Matth. 22.* ita vos hâc stolâ *induti*, Regi Regum eritis gratissimi, in Sacra cœna, futuri. Sed ut Dei servi vos *induant* hanc stolam, exuendę sunt vestes superbiæ; vestes iracundiaæ; vestes invidiaæ. Novas *induiturus* vestes, obsoletas deponit : ita & vobis offendicæ iniquitatis vestes abjiciendæ erunt, si incomparabili stolâ, Christi justitiâ, *indui* gestiatis. Hâc qui erit *indutus*, ornetur in magna illâ cœna immortalitate, claritate, *2. Cor. 5.* Hæc sufficiant de uestis applicatione, respectu totius corporis : Percipiamus jam mandarunt Patris de *induendo* filio :

## II. Respectu partium corporis, idque

## I. Superioris, &amp; II. Inferiorum partium.

I. Respectu Superioris partis. Indite annulum in maximum ejus. Corpore toto stolâ ornato, Pater filii ~~et~~ annum annulo pretiosissimo; annulo aureo, annulo nobilitate gemmâ corruscante condecorare, nobilitare, orname decrevit. Membra, per vitia, de honestata, erant honestanda; per peccata deformata, erant reformanda. Indite annulum egregium in manum. O amore! Manus, qua paterna bona ad se rapuerat; manus, quâ paterna bona effuderat; manus, quâ enormia perpetraverauit, hîc ornetur annulo, amoris sigillo, annulo liberalitatis documento; annulo libertatis signo: Ita Deus cœlestis Pater, miseros peccatores, non tantum desiderat vestire, sed illis etiam amorem suum stabilire. Annulum indit digito, Spiritum suum tradit illorum animo; quo illis confirmat suum amorem, favorem; gratiam, munificentiam.

## D O C T R I N A .

*Deus, per Spiritum sanctum, peccatores conversos, de gratia suâ, certos reddit.*

R A T I O . 1. Per annulum enim innuitur Spiritus adoptionis; arrhabo salutis, quo Deus peccatoribus gratiam suam, in illorum cordibus, absignat, ut illum Patrem appellare ausint, Eph. 1. 13. 14. 1. Joh. 2. 27. 2. Cor. 1. v. 22.

2. Ut Sponsus Sponsam de amore certam reddit: ita Deus pœnitentibus suam gratiam, per Spiritum sanctum, confimat, 2. Cor. 1. 21. 22.

3. Hinc illud Davidis: Deus est pastor meus, Ps. 23. clypeus.

268 DE SACRA COENA  
clypeus meus: mea salus, mea vita, *Psal. 27*. Hinc illud  
Pauli: Nihil me separabit ab ipsius dilectione, *Rom.*  
*8. v. 39*. Novi mihi esse depositam justitiae coronam,  
*2. Tim. 4. 8*.

4. Hinc publicanorum vita; Æthiopis lætitia,  
*Act. 8. 39*. martyrum constantia.

1. Usus. *Correct.* Cujus manus hoc annulo non  
est ornata; cuius animus Spiritu S. non est donatus, à  
sacro convivio absit. Nam hunc *annulum* non por-  
tantes, hunc Spiritum non monstrantes, non sunt fi-  
lli Dei, sed mundi; qui non Deo, sed diabolo sunt ob-  
stricti, à quo *annulum* levitatis, *annulum* impuritatis,  
nequitiae *annulum*, superbie *annulum* acceperunt; quo  
certi sunt de tormentis, de ærumnis, de flammis, qui-  
bus torqueantur. *Annulus* est rotundus, & ita sine fi-  
ne; vestra miseria nullum videbit terminum. *Annuli*  
vestri materia, est peccatum; gemma, vitium. *Annuli*  
vestri, signa sunt servitutis, non libertatis; indicia  
sunt, non generositatis, sed pravitatis; documenta  
sunt, non honoris, sed dedecoris. O miseros tali *annulo*  
deformatos! Illi non filii patris, sed cacodæmonis;  
illi non convivę sacrę Cœnę, sed impurę Gehennę  
sunt futuri.

2. Usus. *Admonit.* Gratias Deo Patri nostro aga-  
mus maximas, quod nos per servos suos, *annulo* pre-  
ciosissimo ornaverit; Spiritu salutis arrhabone, *Eph. 1.*  
*v. 14*. beaverit; filiorum numero aggregaverit. *Annul-*  
*lus* est rotundus & ita perfectus: hac Patris misericor-  
diā quid profundius, latius, perfectius excogitari  
potest? *Eph. 3. 18*. *Annulus* est rotundus, rotunda forma  
continet

continet centrū in quod circumferentię respiciunt: ita Patris in misericordiam veluti centrum, omnia reliqua beneficia descendunt. *Annulus* est rotundus, & ita principio & fine caret: Misericordia Patris erga nos indignos declarata, in S. cœna nobis obsignata caret initio & termino, *Hos. 2.19. Eph. 1.3.4. 2. Tim. 2.9.*  
*2. Thess. 2.13. Job. 3.15.16. 1. Pet. 1.4.* *Annuli* materia plerumque solet esse aurum; hujus *annuli* materia continet veram fidem, de quā *Hab. 2.4. Rom. 10.4.* *Annulus* continet in se gemmam; ita fides nostra in se includit hanc Patris cœlestis misericordiam, veluti maximum thesaurum, efficacissimum solatium; perpetuum oblectamentum. *Annulus* ita constringit gemmam, ne excidere, & ita perire possit: fides nos ita Patris nostri cordi, amori insevit, infigit, ut illa elabi totaliter nequeamus, *Esa. 54. Hos. 2.19.* Aurum *annuli* splendet: ita fides nostra splendeat; supra nos, amore Patris nostri, qui nos ita ornavit, infra nos, splendeat odio adversus Satanam, mundum, peccatum, *Eph. 6.1. Pet. 5.2. Tim. 2.22. 1. Cor. 6.18. Iacob. 4.7.* qui hostes, hujus misericordiæ dulcedinem, nobis acerbare; hujus misericordiæ splendorem obscurare; hujus misericordiæ fontem obturare moliuntur. Intra nos splendeat fides amore, ardore, longitudinem, latitudinem, & profunditatem hujus misericordiæ divinæ, magis magisque intelligendi, *Eph. 3.* Juxta nos splendeat, per bona opera, ad laudem Patris cœlestis, *Matth. 5.* Gemula hujus *annuli* est ineffabilis Dei, erga nos, misericordia, quam cum Apostolo Petro meritò evehimus, *1. Pet. 2.* *Annulus* olim legatis concedebatur, nobis hic

bis hic *annulus*, Dei Spiritus, utpote Dei legatis, attribuitur. *Annulum* gestabant nobiles, illo à plebe ut discernerentur. Nos hoc *annulo*, tanquam Christi convivæ, à mundo immundo segregamur. *Annulus* libertatis *imago* erat: *Annulus*, Spiritus sanctus veræ libertatis nostræ testis est. *Annulo* digitus sinistræ manus minimo proximus, à quo vena ad cor se extendit, coronabatur: *Annulo*, Spiritus sancto, cor nostrum virtutum sedes, redimitur. *Annuli* nonnulli, ob gemmam, ut ferunt, veneno & libidini resistunt: noster *annulus*, Spiritus noster peccati & mortis æternæ insultui se opponit. O quam felix es, anima mea, mea dilecta, hoc annulo condecorata, certa enim de Patris tui munificentia, Christi benevolentia, Spiritus Sancti assistentia eris. *Hæc de ornamento Superiorum partium asserta:* Audiamus jam quid mandatur:

II. *Respectu partium inferiorum.* Et soleas in pedes. Non filius tantum stolæ & *annulo* ornandus erat, sed pedes etiam erant muniendi, ad viam imposterum obedientiæ, patientiæ, reverentiæ, coram patre suo calcandum. Hisce affectus pœnitentiam cohibendi adumbrantur, ne per illos, vitiorum spineta transversi abripiantur. Calcei *pedum* sunt divinæ leges & Euangeliū pacis, quibus *pedes* muniuntur ne offendant, sed inoffense vias Patris cœlestis premant, vias vocatiois studiose terant, & ita fælices fæliciter vitæ pœnitentis cursum absolvant.

### DOCTRINA.

*Deus, homines, ad viam obedientiæ calcandum, aptos reddit.*

RATIO.

RATIO. 1. *Et soleas in pedes, ut nimirum, coram patre, in pieratis, virtutis via, ambularet.*

2. Absq; hâc facultate, pœnitentia foret momentanea, instar roris matutini, & arcus fallacis evestigio resilientis, & ita vana, *Hof. 7.16. & 13.3.*

3. Hoc pœnitentiæ scopus, coram Deo ambulare, voci illius auscultare, præceptis ipsius observare, Deo se consecrare, *Rom. 12.*

4. Deus illos ducit, manu Spiritus, in vias suas: Deus illis ardorem pîc vivendi, mundo valedicendi, Diabolo resistendi, peccato occurrenti, inspirat, *Galat. 5.24. 1. Pet. 5.9.* ita, ut illos hostes vincant, nobilis de illis triumphum agant, & juxta normam legis vitam instituant, *Psal. 119.*

5. Nónne Spiritus Sancti duetu & impulsu, conversus ille Zacchæus, viam obedientiæ, *Luc. 19. 8.* conversus ille publicanus, viam sanctimoniacæ, *Luc. 18. 14.* Peccatrix illa conversa, castitatis viam, *Luc. 7. 47.* Paus ille conversus, religionis viam, sedulò pressit? *Act. 9. 20.*

6. Deus dat, quod jubet: instruit illorum pedes, *Jerem. 10. 23.* dirigit illorum gressus, ut vias sanctitatis, puritatis, vias fidei, speci terant, Davidis è spiriis ut appetet, *Psal. 25. 4. 5.*

i. Usus. *Correcțio.* Multi, heu! reperiuntur, quorum pedes calceati sunt à Diabolo, à mundo, ita ut non ambulent coram Patre cœlesti, sed Dæmonie infernali; ut non ambulent in viis justitiae sed iniquitatis; in viis castimoniae, sed impunitatis; in viis temperantiae, sed ebrietatis; in viis obedientiæ, sed perfiditatem.

versitatis, ut hic filius antea, Patris *soleis* destitutus ambulabat. *Pedes* tui, ô peccator ! hisce *soleis*, hisce, inquam, munitis carentes in vitiorum spineta impingent; in peccatorum saxa irruent; ad diabolorum obstacula offendent, ut lædantur, capiantur, frangantur. *Soleis* Patris cœlestis non ornatus, *soleis*, inquam, obedientiæ, sanctimoniacæ; *soleis*, Euangelii pacis, charitatis, nunquam, ad voluptatem, ad salutem, sacra in cœna, amoris Patris cœlestis pignora, fœderis signacula, Rom. 4.ii. officii documenta videas, accipias. Tu hisce *soleis* nudus, asperam crucis viam non premas; calamitosam salutis semitam non teras; molestam lucis scholam non petas. Tu, miserrime peccator, hisce *soleis* non induitus, à Patre cœlesti, ad diabolum, à sacro convivio, ad vitiorum volutabrum; & ita à lætitia, ad angorem; à gloria, ad abjectionem; à vita, ad mortem deflectas. O funestum horum statum !

2. Usus. Admonit. Gratias Deo agamus ingentes, quod nostros pedes *soleis* obedientiæ, ad ambulandum coram ipso nostro Patre, in sanctitate. cum Echo, Gen. 5. in fide, cum Abraham, Gen. 22. in castitate, cum Josepho, Gen. 39. induerit. Pedes nostri hisce *soleis* induti, rectas orbitas faciant, Heb. 12.13. Pedes à malo se amoveant, Prov. 4.27. Pedes à semita impiorum abhorreant, Prov. 1.15. Pedes ad testimonia Jehovæ se referant. *Soleis* armatus non veretur spinas, non vias asperas, non semitas saxosas: ita & nos *soleis* obedientiæ, patientiæ, *soleis* fidei, spei induti, afflictionis, tentationis, spineta, saxa, transfilimus, vincimus. Hisce *soleis* induti, relictis nequitia, dissensionis, diffiden-

tiæ, desperationis viis; vias penitentiaæ, charitatis; confidentiaæ, pietatis calcamus. Et si maligni orbis astu, & astuti cacodæmonis æstu laberemur, Pater cœlestis nos suos filios erigeret, genua labantia fortificabit, *Esa. 35. 3.* Pedes nostros, ô Deus, ô dulcissime Pater, calcatos conserva, *i. Sam. 2. 9.* complana coram nobis viam tuam, *Ps. 1. 5. 9.* contine gressus nostros, in orbitis tuis, ne dimoveantur pedes nostri, *Ps. 17. 5.* Fac ut incedamus itinere præceptorum tuorum, *Ps. 119. 35.* Dirige pedes nostros in viam pacis, *Luc. 1. 79.* in viam iustitiae & sanctitatis, omnibus vitæ nostræ diebus. Fac, ô benignissime Pater, ne diabolus, vel mundus, vel pravus affectus, nos hisce soleis, quibus paterna tua benignitas pedes nostros induit, spoliet; spoliando, ab obedientia viis abducat; abducendo inficiat; inficiendo perdat. Audivistis:

## P A R T E S.

- I. *Quis hic aliquid mandet.* II. *Quibus ille aliquid mandet.* III. *Quid illis mandet.*

## E P I L O G U S.

*Esaias c. 61. 10.* exclamat: Exultat anima mea in Deo quia induit me vestibus salutis. Hæc gnoma concionis meo, totius est epitome. Pater enim, pulcherrimis filiū vestibus; pretiosissimo illius digitum annulo; exoptatis illius pedes soleis induit. Deus Pater noster cœlestis, nos miseris, abjectos, nudos, per servos suos, splendidissimam justitiae stolâ, *S. in cœna,* ornavit; nobilissimo Spiritu sui annulo, animam nostram ibi condecoravit; gratissimisque pedes nostros obedientia soleis armavit. O beatos nos, nos ter quatérque beatos! Nos ita

amiciti, stolâ sanctitatis, charitatis vestiti, charissimi  
 Deo Patri erimus filii; acceptissimi, S. Cœna, Christo  
 erimus convivæ: Ita, ut piorum frequentia nos eve-  
 hat encomio: Angelorum corona nos promoveat  
 auxilio: Si hac cœna ita splendeamus, quantus erit  
 noster splendor in altera cœna! ubi fulgeat corpus,  
 ubi fulgeat anima: ubi splendeat vestis illa alba: ubi  
 splendeat in manu victoriae palma: ubi caput erit or-  
 natum immarcessibili corona: *digitus* perenni glo-  
 rìa; *pedes* perfectâ obedientia: Ubi, tali ornatu, orna-  
 tissimum; tali splendore, splendidissimum; tali hono-  
 re, illustrissimum nostrum Patrem lingua Angelicâ,  
 in hac, & in futura cœnâ beatissima, simus celebratu-  
 ri. Amen, Amen.

## CONCIO IX.

## TITULUS.

## Spirituale piorum Nutrimentum.

TEXTUS. Luc. 15.

Vers. 23. *Et adductum vitulum illum saginatum macilente,*  
*& edentes oblectemur.*

## EXORDIUM.

**R**egius ille Propheta *David*, divinam ebuccina-  
 turus liberalitatem in hæc prorumpit verba:  
*Instruis mensam coram me, è regione hostium meorum, Ps.*  
 23.5. Deus, Pater ille miserationum, & amator ille ho-  
 minum, intuens homines peccati veneno infectos,  
 animæ cibo destitutos, illorum est misertus, ita, ut il-  
 lis famelicis, cibum præstantissimum, illis languidis,  
 medicamentum efficacissimum, ordinaverit, præpa-  
 raredeus

Faverit, donaverit. Cibum, inquam, vitæ, manna illud cœleste, quo anima afflcta, solatium; tentata, clypeum; mœsta, gaudium; famelica, nutrimentū; venenata, antidotum, inveniat, dederit. O lautissimam mensam! Hanc hostes frementes & frendentes vident, ut illam salutis scatebram nobis invideant; illamque si fieri possit, destruant. Hinc illæ Diaboli machinæ, mundi technæ; hinc illa hostis molimina, carnis consilia, illam mensam spiritualis voluptatis, pacis, alimenti, tripudii ut evertant. Sed cuncta hic infelici aggrediuntur pede: quia mensæ hujus instrutor, illum fit destrutor. Hanc ineffabilem Dei Patris benignitatem, & erga conversos peccatores amorem, amabilissimus & benignissimus ille Jesus, graphicè, divino suo penicillo, hoc textu delineare annitur, in persona patris, filio suo vitulum saginatum, mactatum, præparatum, offrentis, omne ad gaudium impellentis. Hunc textum solenni huic temporis consecrandum esse duxi, ut vobis ad sacram cœnam ad voluntatis, immensam Dei Patris charitatem ad gratitudinis fomentum, animæ oblectamentum, juxta dominorum mensuram, depingerem: majori cum utilitate & voluptate hoc ut fiat, duo trutinaturi sumus: Vi-  
 & us filii prodigi; I. Præparationem.

### II. Applicationem.

### V O T U M.

Fac, liberalissime cœlestis Pater, anima nostra, tua jam benignitate ut exsultet, Christum mactatum ut arreptet, ut degustet, ad laudem illustrissimi tui aominis, ad voluptatem mæstissimi nostri cor-

*Victus præparatio.*

*Victus præparatio:* Et adductum vitulum illum saginatum mactate. Ubi obseruentur;

I. *Res præparata.*

II. *Qualitas rei præparatae.*

III. *Præparata re quid fiat.*

I. *Res præparata,* hisce consistit verbis: *adductum vitulum.* Non Pater tantum filium decreverat amicire, sed etiam nutrire: non corpus tantum ornare, sed & cor recreare. Quid enim commodi enatum, fuisset filio converso ex ornamento, denegato ipsi nutrimento? Pater, ideo curat *vitulum adducendum*, filium reficiendum. Ita Deus cœlestis Pater non tantum miserum peccatorem decretit vestire, sed etiam nutrire. Vester ordinavit conversi corpori; dapes illius cordi *vitulum adduxit*, filium unigenitum produxit, ut illo resipiscens nutritus non pereat, sed vivat, in solo delicatè, in cœlo beatè, quando delibutus gaudio, plenissimè fruatur Christo, in maximo illo convivio, quo Patris recreetur gratiâ, & convivarum exhilaretur coronâ. O Patris amorem! ô pœnitentis fælicitatem!

DOCTRINA.

*Deus, miseros pœnitentes peccatores, ex mera gratia, ad vitam æternam, nutrit.*

RATIO. I. *Adductus est vitulus patris ex amore, non verò filii ex dignitate. Nulla hîc fingenda merita, sed mera hîc depingenda beneficia: Pater cibum dedit, quem filius non promeruit.*

2. EX

2. Exhaustæ animæ Deus cibum suppeditavit, ne spirituali inediâ fracta periret, sed cibo refecta vive-ret, *Joh. 6.*

3. Ut Deus ex gratiâ peccatores ornat; ita ex gratiâ illos cibat. Nulla excogitari hîc possunt merita, quia ubique ingruebant supplicia. Et qui transgres-sores legis morte digni cibum vitæ promerentur? *Joh. 6.*

4. Ut ex gratia, electio, justificatio, sanctificatio profluunt, *Eph. 1.4. Rom. 3.24.* ita ex gratia Dei proflu-xit peccatoris, ad vitam perennem, nutritio.

5. Deus illis mensam præparavit, *Ps. 23.5.* Ex amo-re illis convivium adornavit, *Esa. 25.6.* Ex favore il-los ad lauitias vocavit, *Esa. 55.2.* Ex liberalitate illis Manna coeleste donavit, *Joh. 6.32.33.* Nulla hîc appa-rent merita, cum omnia dicuntur parata, *Luc. 14.*

1. Usus. *Correctio.* Multi, proh dolor, inveniun-tur, qui hoc vitulo adducto, adducto Jesu Christo, vero animæ paulo, *Joh. 6.* adducto in Euangelio, adducto in sacro convivio, non delectantur. Qui adducto hu-jus orbis thesauro; adducto honoris throno; adducto carnis obiectamento; capiuntur, quæ animam non reficiunt, sed inficiunt; non nutriunt, sed perimunt. In hisce adductis rebus mandanis, mundane, vane, ve-sane, tuus sæpè interitus adducitur. Adductæ opes, sèpè sunt animæ pestes; adducti honores, mortis odores; adductæ voluptates, dolores. In honoribus istis haud raro ducitur ignominia; in opibus, penuria; in volu-ptatibus, ærumna. Extra hunc, vitulum adductum, ex-tra Jesum in S. coena oblatum, nulla vera alimonia;

nulla defæcata lætitia; nulla sincera gloria; nulla æterna opulentia excogitari, multò minus comparari potest. Omnia spiritualia, quæ animam nutrire, reficeré, honorare, ditare evalent, hoc vitulo adducto, in S. coena, credentibus adducta sunt. Hoc qui caret, omnibus spiritualibus caret bonis; hoc qui gaudet, omnibus spiritualibus gaudet donis.

2. U s u s. Admonitio. Hoc adducto, ô auditores humanissimi, ô fratres charissimi; hoc ab æterno præparato; bac justo tempore nobis donato vitulo Jesu Christo, nil sit nobis charius, suavius. In hoc adducto vitulo, Jesu Christo, in S. Cœna oblato, obsignato, omnia sunt adducta, quæ pia anima desiderare, amare poterit, Joh. 3. adducta est largitas Dei Patris ineffabilis; adducta est charitas Dei Redemptoris admirabilis, Job. 10. adducta est suavitas Spiritus S. desiderabilis, Rom. 8. In hoc adducto vitulo, Jesu Christo nobis esurientibus cibus, Joh. 6. nobis fitientibus potus adornatus est; cibus, inquam, illius in carne; potus illius in sanguine. Adducta est in hoc vitulo, voluptas desideranti; suavitatis gustanti. Caro enim hujus vituli est cibus optimi succi: sanguis hujus vituli, est potus saporis dulcissimi, Joh. 6. In Jesu Christo veluti thesauro, adducta sunt omnia præstantissima; veluti myrothecio, adducta sunt omnia fragrantissima. O vitulum pretiosissimum! ô cibum efficacissimum! ô potum suavissimum! Tibi ægrotanti animæ, in hoc vitulo adducta est medicina; tibi esurienti alimonia; tibi lugenti lætitia; quid, anima mea, præstantius, fragrantius, delicatius, suavius affectes, & delibes? Hæc de re præparata: Jam nobis

nobis consideranda venit qualitas rei preparatae.

II. Qualitas rei præparatae consistit hoc verbo : saginatum. Omnia in filii vestitu eminebant splendida; in illius victu cuncta apparebant lauta. Ibi conspicuntur stola præcipua, annulus pretiosus, soleæ concinnæ: Hic producuntur lautissima, vitulus saginatus, delicatus. Ita ut Patris æquè ex alimonia, quam stola, æquè, inquam, ex victu, quam vestitu gratiosa eluxerit liberalitas, & ita jucundas cibi & vestimenta perpererit rixas. *O amorem!* Hic celebratur nunquam non celebranda Patris coelestis benignitas, cuius ubique hominem reficit claritas, quæ se prodidit tum miseri peccatoris vestimento, tum cibo: Nam vestis hic fuit producta nobilis, cibus allatus dulcis: Stola pulcherrima, alimonia saluberrima. Vitulus hic offeritur saginatus, qui conversi ori sapit, famem ipsius perimit, ipsumque ad vitam æternam nutrit. Quid suavitius hoc vitulo? Quid pretiosius Iesu Christo? nihil.

### D O C T R I N A.

*Deus peccatores pœnitentes lautissime tractat.*

RATIO. 1. Adducite vitulum saginatum, delicatum.

2. Deus illis adornat convivium rerum pinguium,  
*Esa. 25.6.* In quo vinum reperitur reficiens, lac nutritiens, *Esa. 55.1.2.* in quo offertur favus gratus, *Cant. 5.* Panis exoptatus, *Prov. 9.*

3. Egregiae sunt vestes, quibus Deus illos ornat,  
*Esa. 61.10.* lautæ sunt dapes, quibus illos cibat, *Esa. 55.2.* Penuarium illius vestiario ut non cederet; & ita ubique gaudium misero ut concederet.

4. Opiparè qui tractat creaturas irrationales, nou-

ne ille honorificè tractaret suos fideles? *Matt. 6.26.*

5. Idcirco exclamat: Dilata os tuum, & impleturus sum illud, *Psal. 81.11.* Illos implet bonis, *Luc. 1.53.* Hau-  
riant quævis bona, ex ipso salutis fonte, *Esa. 12.3.* Re-  
plevit hydrias vino generosissimo, *Job. 2.7.* Aspice  
etiam duodecim cophinos fragmentis abundantes,  
liberalitatis Dei testes, *Luc. 9.17.*

1. **U s u s . C o r r e c t i o .** Quot, proh dolor, sunt, qui  
hunc vitulum, *saginatum*; qui, Jesum Christum in sa-  
cra coena præsentatum, respuunt, & *macilenta caco-*  
*dæmonis, carnis fercula appetunt!* Tu miser nullum  
in illis fructum, sed merum offendes fucum. Quic-  
quid enim tibi offert hostis, est pestis; nullus, illius in  
mensa, appareat spiritualis *saginatus vitulus*; sed ejus  
modi vituli exornatus titulus. *Quod non nutrit, il-*  
*lud injustè nomen cibi sibi tribuit.* Et qui illud nu-  
triat, quod enecat? Et omnes mundi immundi fer-  
cula, sunt stercora, illa qui edit, cum hirudine alia-  
semper appetit, *Prov. 30.15.* Et anima tua istis macilen-  
tis ferculis non *saginetur*, sed macrescit, languescit:  
quia non sunt deliciæ, sed quisquiliæ, *Luc. 15.16.* qui-  
bus hæret multum nauseæ & parum alimoniae. Quid  
enim aliud sunt diaboli dapes, honores, quam fragi-  
les flores, *Esa. 40.6.* quibus inest odor reficiens cere-  
brum, sed non spiritualis sapor nutriendis animum?  
ubi *saginatus* conspicitur spiritualis *vitus*, exoptatus  
cibus, carnis in mensa? nulla ibi vera apponuntur  
animæ tragemata, sed mera illius venena, quibus illa  
non reficitur, sed interficitur; non pingue scit, sed ta-  
bescit. *Saginata* quidem nonnulla tibi, Diaboli convi-  
vio,

vio, obtruduntur, *saginata*, inquam, horrendis peccatis, monstrosis vitiis: superbiâ, avaritiâ; impuritate, ebrietate, Col.3.5. Illis *saginatis*, ut boves mactandi *saginantur*; *saginatis*, mortis ut telis objiciatis; *saginatis*, cacodæmonis ut hastis interimaris. Quare, ô homo, ad Eucharistiam non advolas, hoc vitulo *saginato*, Christo præparato, ad vitam & gloriam; ad delicium & gaudium, ut utaris, & fruaris? Quis ita te fascinavit?

2. Usus. *Admonitio*. Nil, magis, ô fratres, sit nobis in deliciis hoc *vitulo saginato*, Iesu Christo nobis donato, Rom.8. Joh.10. Quid suavius vitulina *saginata*? Quid dulcius carne Iesu Christi nobis ordinata? Caro vituli *saginati* corroborat corpus: Caro Christi crucifixi confortat animam: Caro vituli *saginati* grata est hominis palato juxta ac stomacho: Iesu Christi merita accepta sunt fidei oscillo, & animo. Succus vituli *saginati*, probéque afflati conductit ægris: Iesu Christi fanguis prodest afflictis conscientiis. Nil hil carne Salvatoris crucifixa excogitari poterit salubrius. Aquilæ arridet cadaver, Matth.24.28. animæ electæ arrideat, in Eucharistia, vitulus hic *saginatus*, Iesus Christus nobis oblatus. Hunc tu, ô anima dilecta, cuivis Nectari & Ambrosiæ meritò præferas. Hoc *saginato vitulo saginatur anima*; *saginatur conscientia*, *saginatur fiducia nostra*, legitimo sacræ cœnæ usu, Esa.55.2. Hoc *vitulo saginato*, corroborantur musculi animæ, nervi conscientiæ, venæ fiduciæ nostræ. Præ hoc *vitulo saginato*, in sacra Synaxi obsignatio, sordeuant nobis mundi fercula, vilescant Diaboli tragemata; Hoc *vitulo saginato*, in S. coena, languidus

dus confortetur; mœstus recreetur; famelicus satiatur,*Joh.6.50.* In hoc vitulo saginato, anima saporem in mundo hoc insipido, dulcorem, in mundo hoc amaro; odorem, in mundo hoc foetido, invenit. Hic vitulus saginatus, est arbor vitae, fons lætitiae: est electæ animæ pinguedo, & dulcedo, & dignitas & voluptas, nutrimentum & fulcrum: O quam beata eris anima mea hoc vitulo saginato, Christo adornato dum uteris frueris, omnigenâ felicitate accumuleris! Hæc de qualitate rei præparatæ: Jam audiatur:

III. Præparatæ materia quid fiat. Mactate: mactandus erat saginatus ille vitulus, voluptati filii prodigut inserviret. Quid enim juvasset vituli saginati asperitus, si filio famelico non concederetur illius usus? Filius vitulo saginato ut nutritur, reficeretur, mactandus, præparandus, repræsentandus erat filio. Mactate, exclamat Pater, vitulum saginatum, filio meo reverso, converso, ordinatum, donatum. Ita cœlestis Pater, filium natum, filium datum, voluit mactatum, ne miser peccator mactaretur à Diabolo, sed illum debellatum lætus aspiceret, solum despiceret, cœlum suspiceret, animam reficeret, & ita in æternum vivet.

### DOCTRINA.

*Christus crucifixus miseris peccatorib. conversis, offertur.*

RATIO. 1. Mactate. Vitulus debebat mactari: Christus trucidari, *Heb.9.12.15.*

2. Ut in illo maledicto, benedictionem, *Gal.3.4.* contempto, glorificationem; vulnerato, sanationem; *Esa.53.3.5.* capto, liberationem; damnato, justificac-

inem;

nem, credentes invenirent; invenientes exilirent; exiliientes audirent: vobis ille natus, vobis ille datus,  
*Esa.9.* vobis ille mactatus.

3. In illo crucifixo, læti, læto aspiciunt oculo, iram  
 Dei sedatam, *Rom.5.1.* januam cœli reseratam; poten-  
 tiā Diaboli enervatam, *i. Joh.3.8.* gloriam elec̄tis pre-  
 paratam.

4. In illo crucifixo Jesu Christo intuentur iniqui-  
 tatis remissionem; legis impletionem; cordis purifi-  
 cationem; corporis glorificationem.

5. Idcirco Apostolus Petrus hunc Jesum crucifi-  
 xum Judæis prædicavit, *Act.2.23.* Paulus Ethnicis an-  
 nunciavit, *i. Cor.1.23.* Johannes afflictis recommenda-  
 vit. *i. Joh.2.*

I. Usus. *Correctio.* Quis hunc vitulum mactatum,  
 Jesum trucidatum, in Euangelio prædicatum; in sacro  
 convivio oblatum appetit? Quis in illo salutem que-  
 rit? Mactata mundi, Diaboli, illis magis arrident ani-  
 malia, *Esa.22.13.* quam præparata, ex hoc vitulo, fercu-  
 la. O vesaniam! Mundi, Diabolice deliciis dum de-  
 lectaris, mactari, *Psal.69.23.* dum vesceris, comederas;  
 dum uteris, ureris. Nónne, in pallio illo Babylonico,  
 Achæa vidit interitum? *Jos.7.25.* Nónne, in Balaki mu-  
 neribus, Bilhamus invenit gladium? *Nam.31.8.* Nón-  
 ne, in triginta argenteis, Judas tetigit laqueum?  
*Mattb.27.5.* Diabolus mactat sua animalia, suppeditat  
 iniquitatis fomenta, te ut mactet: ut Abschalom non-  
 nullas oves curaverat mactandas, fratrem suum Am-  
 monem ut mactaret, *z. Sam.13.29.* cibus avibus objectus  
 spectat illarum mactationem: Hamus piscibus expo-  
 situs

situs indigitat illorum internacionem: missus tibi à Diabolo obtrusus ad portat tui trucidationem. Cur ergo hunc *vitulum mactatum*, fracto pane, & effuso vino tibi oblatum, non arripis, quem qui edit, non esuriet, Job. 6. Hunc *mactatum vitulum* dum respuis, gaudii cumulum negligis: hunc in S. cœna, dum non aspicis, salutem tuam despicias; & *mactus* à Deo securi afflictionis in hac vita, & securi condemnationis in altera, ubi te *mactatura* est propria conscientia, Angelorum corona, Diabolorum caterva. Væ, vae tūm vobis miseris miseria obrutis! Matth. 25.

2. *Usus. Admonitio.* Adoremus, fratres dilectissimi, in Eucharistia, amorem Patris cœlestis ineffabilem, quod ipsi libuerit *mactare* hunc vitulum Jesum Christum; *mactare*, in decretis; *mactare* in promissis, in sacrificiis *mactare*; in suppliciis *mactare*, pro nobis fœdifragis *mactatione* dignissimis. *Mactemus* in certum signum grati pectoris, & in memoriam tanti amoris, veterem Adamum, Rom. 8. 13. legis securi, & Euangelii ense *mactemus* damnabilem affectum, Gal. 5. 25. *Mactemus* hosce nostros acerrimos hostes spirituali pede, ut Josua suos *mactavit* adversarios corporali pede, Jos. 10. 24. *Mactato* hoc *vitulo*, ceu clarissimo speculo, intueamur debellatum infernum, Hos. 13. 14. profligatum Diabolum; enervatum peccatum, Heb. 9. 26. & ita omnes nostros *mactatos* hostes, 1. Cor. 15. 55. In hoc *mactato vitulo*, Iesu Christo, en tibi fontem salutis, refectionem cordis: en tibi remedium vulneris, principium voluptatis: en tibi vitam & coronam, cœlum & gaudium. O divitias! O delicias! Quis jam in Synaxi

Synaxi hunc *maestatum* vitulum non appeteret, cœlum ut peteret? Hæc de victus præparatione.

## II. P A R S.

*Applicatio victus consideranda:* Ubi notetur;

I. *Applicatio ipsa.* II. *Applicationis finis.*

I. *Applicatio ipsa.* Et edentes. Quare hic vitulus erat *maestatus?* filius illo ut vesceretur; & servorum chorus illo ut frueretur. Non enim hic vitulus tantum erat datus oculo, sed & oblatus stomacho: nam Patris liberalitas non erat tantum aspectanda, sed etiam delibanda, & ita celebranda. Ita cœlestis Pater vult ut afflictus peccator filium *maestatum* arripiat; arreptum *edat; esum convertat in spirituale nutrimentum, & oblectamentum, & encomium.* Patris enim huj<sup>9</sup> benignitas & degustanda, & deprædicanda erat.

## D O C T R I N A.

*Conversi, Christi beneficia sibi applicent.*

R A T I O. I. *Edentes.*

2. In eum finem præparatum est lautum convivium, hospites isto ut gaudeant, & Christi beneficia, merita pii arripiant.

3. Quid commodi redundet ex delicatissimo cibo in eum, qui illum gustare; ex splendidissimo solo in eum, qui illum aspectare; ex limpidissimo fonte in eum, qui illum delibare recuset? Ita nihil commodi nascatur homini ex Christi meritis sine applicacione.

4. Nam oculo fidei Christi merita non tantum sunt aspectanda, sed & applicanda; non secus, ut vestis nudo oblatan non tantum est aspicienda, sed etiam induenda.

5. Tor-

5. Torques aurea collo affigenda; Christi beneficia vera deaurata, *Psal. 45.* animo sunt imprimenda.

6. Idcirco Paulus inter alios sibi Christi incarnationem, *1. Tim. 1.16.* Crucifixionem, *Rom. 8.* Mortem, resurrectionem, *Rom. 4.24.25.* Intercessionem, *Heb. 9. v. 24.* sibi vendicavit.

7. Hæc applicatio est fidei, & nota, & basis, & anima. Quid enim esset vera fides absque hac applicatione aliud, quam nux sine nucleo.

8. Hinc illa Salvatoris vox: Venite ad me qui sitis, esuritis, *Joh. 6. 35.* Venite fatigati & onerati, *Matth. 11. 28.* Venite non pedis tantum effectu, sed cordis in primis affectu, non tantum ore, sed in primis amore. Quid illa omnia aliud spirant, quam applicanda esse Christi beneficia?

1. Usus. *Correctio.* Multi Christum edere, in Christum credere recusant. Non sapit illis hic, in *S. coena*, vitulus, non satisfacit illorum animo hic cibus. Arrident illis magis mundi immundi tragemata, quæ Sodomæ repræsentant poma, quæ fronte optimum præ se ferunt colorem, sed corde pessimum appetiunt odorem. Aliquid est quod applaudit oculo, sed nihil quod respondet palato. Quid Diaboli ferula? Stercora: Quid est illorum suavitas? Animæ acerbitas. Hic vitulus vobis non sapit, quia dulcedinem illius mens vestra non capit: nullus hic sapor, quia nullus est amor. Hæc *edulia* vobis non sunt accepta, quia interiora spiritualis palati sunt infecta. Ut lautissima fercula non libent febricitanti: ita carissima Christi merita non placent naufraganti. Illi no-

Iunt edere, in Eucharistia, de hoc vitulo, amoris Dei  
 thesauro, de hoc vitulo, suavitatis omnigenæ cumu-  
 lo: de hoc vitulo, voluptatis defæcate principio. De  
 hoc vitulo edere detrectant, quia illius præstantiam  
 cognoscere non affectant. Nullus hic est appetitus,  
 quia illorum animus propriæ justitiae opinione est  
 turgidus; vel mundi deliciis corruptus. Nullus hic est  
 gustus, quia diaboli bellariis ille est obtusus. Si non  
 vis, ô homo, edere, non poteris vivere: qui enim Chri-  
 sto, in S. cœna, uti frui recusat, ille æternam mortem  
 sibi comparat, Joh. 6. Extra hunc enim mactatum vi-  
 tulum nulla datur vita, Joh. 14. O miseras animas  
 Christum mactatum edere, Christi beneficia accipere  
 detrectantes, & ita cordis remedia, salutis media a-  
 spernantes! Edetis post mundi mel, fel: post diaboli  
 delicias, quisqulias, Luc. 15. post carnis fercula, vene-  
 na. Quæ enim istorum ferculorum condimenta?  
 tormenta. Qui illorum sapor? dolor. Qui illorum  
 fructus? luctus. Cibus vester, erit laqueus: vestrae de-  
 liciae, erunt tristitiae: vestra tragemata, erunt lamen-  
 ta. O funestum convivium, vivum iræ divine signum!  
 O fercula dolorifera, mortifera!

2. Usus. *Admonitio.* Edamus in S. Synaxi Chri-  
 stum illum vitulum saginatum, mactatum. Edamus  
 ore fidei hunc vitulum verum alexipharmacum ve-  
 nenato diaboli convivio oppositum. Edamus hunc  
 vitulum in vitam, in lætitiam creditis natum, Joh.  
 6. datum, Joh. 3. Edamus hunc vitulum, cuius caro est  
 verè cibus, cuius sanguis verè potus, Joh. 6. 55. hujus  
 sanguinem si biberimus; hujus carnem si ederimus,  
 vitam

vitam æternam habituri sumus. Imò in ipso mansuri sumus, & ille in nobis, Joh. 6.54.56. Edamus hunc vitulū mactatum, Jesum Christum pro peccatis nostris immolatum.

*Cujus corpus sanctissimum, In ara crucis torridum,  
Cruore ejus roseo, Gustando vivimus Deo.*

Hic Manna, hic Nectar & Ambrosia, hic immortalitatis bellaria: Edamus cum appetitu non oris, sed cordis; non stomachi, sed animi. Edamus spiritualium impulsi inopiam, & immortalium allecti copiam. Esurientes edere gestiunt. Edamus & nos, S. Eucharistia, hujus carnem esurientes, Joh. 6. Esuriēnti fercula sapiunt: sapient & nobis hæc bellaria, Christi merita. Edentes ad hanc caducam vitam corroborantur: & nos Christo fruentes ad æternam vitam corroboremur, Joh. 6. Edentes feliciori pede præfixum iter eme- tiuntur: & nos edentes vituli hujus mactati, Christi pro nobis immolati carnem, iter terminatum è solo ad polum felices quam felicissimè confecturi sumus. Edere bono cum appetitu, haud obscurum sanitatis est indicium: edere sancto affectu hunc vitulum, Je- sum Christum, evidentissimum sanitatis, sanctitatis est signum. Beata illa est anima, hic qui S. in Coena ore fidei, carnem hujus vituli edit, morte Christi se reficit, nam mortis æternæ insultum effugiet, & sor- tis æternæ cumulum acquires, Joh. 6. Hujus Christi qui jam est hospes, in perpetuum ille erit sospes: hu- jus mensæ qui jam accumbet, beata illius coenæ, Matt. 8. se quoque adjunget, ubi gaudio mero illius anima imbuetur: voluptate mera perfundetur; amo- ris di-

ris divini suavitate reficitur. O magnitudinem divinę charitatis! ô plenitudinem æternę suavitatis! Quis hic non ederet, ut ibi viveret? *Hæc de applicatione: Perponderemus jam applicationis finem.*

II. *Applicationis finis*, sive fructus hac voce innuitur; oblectemur. Quid dulcius dulcissimo Patris hujus amore? Sancta hic in Patre spirant amorem, spirant dulcorem. Quàm benignus Patris est animus! ô quàm serena Patris est frons! Quàm blanda illius est lingua! quàm larga illius est manus! Oblectatur Pater ob filium pristino nitoris restitutum; ob filium periculoſo errore evolutum. Oblectatur pater, servi ut oblectentur, convivæ ut oblectentur: nam illos nō suę tantum munificentiae vult esse testes, sed suę quoque lætitiae esse participes. Oblectatur cœlestis Pater converso quoque peccatore, & vult omnes servos, omnes pios, illius à vitiis ad virtutem; à tenebris ad lucem; ab ærumnis ad salutem ob conversionem, exsultare. Omnia hujus cœlestis Patris ebuccinant tum liberalitatem, tum suavitatem; ita, ut cœlum oblectetur cum solo, quod miser peccator in solo redditus sit cœlo.

### D O C T R I N A.

*Deus dilectatur hominum salute.*

#### R A T I O. I. Oblectemur.

2. Hinc suavissimæ illæ invitationes, blandissimæ compellationes, severissimæ increpationes, amarissimæ castigationes sunt enatæ, renatus ad vitam æternam ut eveheretur.

3. Deum delectari hominum salute, ex æterna illorum

lorum electione, *Eph. 1.* Ex filii unigeniti, in mundum, missione, *Joh. 3.* Ex illius, pro hominibus, crucifixione satis appetet.

4. Altissimus, infimus; gloriosissimus, abjectissimus; ditissimus, pauperrimus factus est in hominum salutem.

5. Filius Dei ingressus est mundum, illi ut cælum; stabulum, illi ut palarium; mortis antrum, illi ut vitæ perennis domicilium ingrederentur, *Joh. 3.* & <sup>14.</sup>

6. Deus natus est puer, ut illi filii Dei; pauper, ut illi opulenti; tener, ut illi robusti evaderent.

7. Filius Dei fuit contemptus, illi ut honorarentur; captus, illi ut liberarentur; mœstus, illi ut exhalarentur; illi ut sanarentur, fuit vulneratus; ut vivificantur, fuit immolatus; ut salvarentur, fuit cruciatus.

8. Illos perditos indagavit, *Luc. 15.* Illos seductos revocavit, *Esa. 41.9.* Illos captivos liberavit, *Luc. 1.74.* Beavit illos fide; nobilitavit illos spe; ornavit illos charitate.

9. Ut obligator illos sanavit vulneratos; ut Pastor illos cibavit famelicos; ut Redemptor illos liberavit captivatos, *Joh. 10. Luc. 1.*

10. Quid aliud indigitant illa similia, *Ezech. 16.* de egregia veste, *Luc. 15.* de inventa ove, de reperto dramate, quām Deum unicè hominum affectare salutem?

11. Usus. Correſtio. Quām plurimi, eheu! inventiuntur qui non oblectantur Dei amore, licet Deus illorum oblectetur salute. Deus oblectetur illorum conversione, & illi non oblectantur suavissima Dei invitatione.

tione, *Psal. 81.* Deus oblectatur illorum resipiscentiâ; hinc dulcissima illius, in Euangilio, vox, *Matt. 11.* hinc acceptissima illius, in S. convivio pax. Deus oblectatur hominum salute; hinc verbi ipsius malleus, quo dura illorum pectora labefactare, *Jer. 23. 29.* verbi ignis, quo impura illorum pectora purgare, *Jer. 23. 29.* verbi pluvia, quâ infrugifera illorum corda fructuare, *Esa. 55. 10. 11.* verbi lumen, quo obscura illorum cerebra illuminare annititur, *Ps. 19. 9.* Deus oblectatur hominum conversione, quia per totum diem manum suam ad illos expandit, *Esa. 65. 2.* pacem illis promittit, *Esa. 52. 7.* salutis mensam illis instruit, *Ps. 23.* oblectatur Deus, tui conversione, ô homo; nam modò tibi est instar gratissimi solis, *Mal. 4. 20.* modo instar ditissimi fontis, *Esa. 12. 3.* modo instar benignissimi Patris, *Esa. 64. 12.* te benignitatis suæ radiis, liberalitatis suæ rivulis; suavitatis suæ viis ad se ut alliciat: sed tu, ô vano, & vesane; perverse & perdite, S. coenam respuis; salutis media negligis; tubam Euangeli contemnis! Tu obdurate, non oblectaris Eucharistiâ, ideo vocatus ad illam, resistis S. Spiritui; non obedis divinæ voluntati; adhærescis carni. Non oblectaris spirituali convivio, idcirco frontem instar chalybis, cor instar æris, *Esa. 48. 4.* & te totum, instar lapidis, obduras; S. Synaxis nihil aestimas, *Luc. 14.* sanguinem Christi conculcas, *Heb. 6.* Deus ideo oblectetur tuo interitu, ut sagittas in te vibret, *Ps. 7. 13.* & infrugiferam arborem detruncet, *Matt. 3. 10.* mensâ gratiae te privet, *Matt. 8.* Væ, vae tibi, hoc si eveniet.

2. Usus. *Admonitio.* Adoremus, hunc cælestem  
T 2 Patrem,

Patrem, qui nostri *oblectatus* fuerit salute, æterna cum digni essemus morte. Qui *oblectatus* fuit nobis misericordia, mendicis, impuris, injustis, ita ut nobis fameliciis hunc vitulum Christum; nobis nudis pretiosum vestimentum; nobis abjectis nobilissimum annulum, amoris sui signaculum dederit, applicuerit. O amorem! *Obiectatus* fuit nobis, qui eramus peccatorum massa; diabolorum tabernæ; vitiorum cloacæ, ut nobis lautissimum S. convivium adornaverit, delicatissimis, in eo, ferculis beaverit, & mirum in modum nos recreaverit. *Obiectatus* fuit ille Pater mera lux, nobis tenebris; ipsa justitia, nobis injustis; ipsa vita, nobis mortuis. Quid dulcius hoc amore? nil. Deus obiectabatur Adamo & Evâ splendentibus splendida ipsis imagine: sed quis capiet hunc amorem, quod nos imagine diaboli deformatos *oblectatus* fuerit? Miriam & Aaron litigabant cum Mosche propter uxorem Cuschidem quam duxerat, *Num. 12. 1.* Sed quis non admiretur in S. cœna hanc admirabilem Dei charitatem, quod nobis *oblectatus* fuerit æquiparatis non Æthiopis tantum cuti, sed & liventibus maculis Pardi, *Jer. 13. 23.* Leæ aspectus, oculos obteneros, ferè erat despectus, *Gen. 29. 17.* Sed quid statuendum de Dei amore, quod *oblectatus* fuerit nobis à planta pedis usque ad caput, vulneribus, & tumicibus, ac plagiis saniosis scatentibus, *Esa. 1. 6.* Xerxes Ælianō teste, arborem aëream, in Lydia, latissimè suos huc illucque ramos spargentem, gratamque ipsi umbram parientem, summo amore est amplexus, quod aspicientibus non minimam creavit admirationem.

Sed

Sed in quam admirationem nos non rapiat hic Dei cælestis Patris amor, quod nos arbores natura infrugiferas, Satanæ astu & astu suppressas, mortisq; producentes umbras, vitibus Sodomæ assimulandas, *Deut. 32. 32.* amore fuerit exosculatus, nobisque ita fuerit oblectatus, ut vitulum saginatum filium unigenitum pro nobis maectatum in S. Cœna nobis dederit, & omnia cum ipso nobis obtulerit, *Joh. 3. Rom. 8.* Quid huic amori amore debito occurramus? Quid huic nostro munificentissimo Patri, signum grati pectoris, offeramus? En tibi, ô Pater benigne, tuo in convivio, totoque vite nostræ curriculo, cor tibi renatū, cor tibi nostrum consecratū, inque illo spiritualē vituli, Jesu Christi appetitum, & ardens tui desiderium.

## D O C T R I N A I I.

*Homines pii Dei beneficiis exsultent.*

R A T I O I. *Oblectemur.* Hoc dixit suis servis, suis convivis, suis amicis.

2. Humana si afficiant, multò magis divina reficiant, gaudium gignant.

3. Omnia Dei dona & bona gaudii sunt principia, *Psal. 4.*

4. Nónne gaudium piorum in pectore exuscitaret ineffabilis illa Dei dilectio; æterna nostri electio, *Eph. 1.* Per Christum liberatio, *Luc. 1.* Per Spiritum S. regeneratio, *Joh. 3.*

5. Quid referam de invicto piorum clypeo, patientia; de pulchro illorum vestimento, Christi justitia; de firme illorum fulcro, fiducia; quæ illos Satanæ contra insultum munit; mundi impetum frangit;

carnis æstum extinguit. Hoc ornamento ordinati; ro-  
bore roborati; fulcro suffulti, omnes hostes suppri-  
munt, nobilèmque de illis triumphum agunt, & pro  
summo gaudio exsiliunt.

6. Hinc illud *Psl.33.1.* Cantate justi in Jehova, *Esa.12.2.*  
 3. Quumque hauseritis aquas cum gaudio, *Esa.4.9.2.*  
 lætati sunt coram te quasi lætitia quæ agitatur in me-  
 se, ut qui exsultant partientes prædā, *Hab.3.18.19.* Ego  
 tamen in Jehova exsultabo, gestiam in Deo salutis  
 meæ, Jehovi Dominus robur meum est. Hinc illud  
 D. Pauli: Gaudete in Domino semper: rursum, in-  
 quam, gaudete, *Phil.4.* Hæc & similia quid clamitant  
 aliud quam Dei beneficiis esse exsultandum.

1. U s u s. *Admonitio.* Nos, nos S. in Cœna oblecte-  
 mur Dei Patris benignitate, salutis fonte; Dei Re-  
 demptoris charitate, hilaritatis scaturagine; Dei Re-  
 generatoris consolatione, voluptatis semine. *Oblecte-*  
*mur*, in Eucharistia, Christi meritis, amoris speculis,  
 salutis sigillis, *Rom. 4.* *Oblectemur* spirituali hoc con-  
 vivio, ut ebuccinemus hujus liberalitatem; celebre-  
 mus hujus Salvatoris charitatem; decantemus Spir-  
 itus S. consolationem. *Oblectemur*, ut in S. cœna hunc  
 Patrem adoremus, *Eph.3.* hunc mæctatum vitulum  
 manducemus, *Ioh.6.* hunc Spiritum S. honoremus.  
*Oblectemur*, ut huic Patri obediamus, serviamus, fida-  
 mus. *Oblectemur*, ut hanc datam stolam, hunc annu-  
 lum, hasce soleas, hanc nimirum Christi justitiam,  
 Spiritus S. præsentiam, veram obedientiam omni o-  
 mniño mundi bono & dono, auro & thesauro præ-  
 feramus. Servus oblectatur Domini; filius, patris, sub-  
 ditus

ditus Regis liberalitate: nónne nos, in cœna, Patris nostri, nostri Regis liberalitate oblectemur? Quid fructuosius Dei Patris amore? Psal. 103. nihil sane. Oblectantur filii donis à Patre acceptis: nónne nos oblectemur acceptis à Patre nostro donis? Nónne oblectemur hisce beneficiis, ut lingua nostra illa annunciet; vita nostra illa prædicet; anima nostra illa laudet? Psal. 103. Oblectamur flumine, recreamur lumine, quanto magis oblectemur in S. cœna benignitatis Dei fonte, illiusque charitatis sole. Oblectamur auro: quis nostrum non Christo, optimo isto oblectaretur thesauro? Oblectamur melle: quis Dei Patris, in Eucharistia, non oblectaretur suavitate, Ps. 34. Oblectamur annulo: quis in S. cœna non oblectaretur Spiritu sancto? Oblectamur geminæ splendore: quis nostrum non oblectaretur amoris Dei Patris caritate? O beata anima, hic si oblecteris Dei Patris munificentia; in magna cœna oblecteris illius opulentia, quando ad ipsius dextram, gaudii copiam, cœli gloriam, immortalitatem corporis, claritatem cordis affatim à Patre tuo sis natura, coeleste manna esura, & in ipsius benignitate exultatura. O gaudium! ô bonorum cumulum!

*Audivisti;*

- I. *Victus filii prodigi præparationem.*
- II. *Applicationem.*

### E P I L O G U S.

Quod dicto adumbremus omnia? Esaias. 55. 2. Ita exclamat loco Dei: *Auscultate inde sinenter mihi, & comedite bonum atque oblectet se hâc pinguedine anima vestra.* Pater filio suo cibum delicatum præparavit,

convivium splendidum adornavit; gaudium maximum à convivis desideravit. Deus cœlestis Pater Christum, vitulum istum saginatum arâ crucis mactatum, perservos suos, S. Synaxi nobis offert. Utinam indefinenter benignissimo huic Patri auscultaremus, hunc vitulum mactatum, nobis consecratum ore fidei gustaremus; merita Christi manu fidei applicaremus, ô quam beata anima nostra esset futura! Illa pinguedine hujus vituli sese oblectaret: illa benignitate Dei exultaret: illa sanguine Christi se corroboraret. Nos ab hâc cœna ad cœlestem illam magnam, Matt. 8. evehamur, ubi Christo hîc mactato, & ibi glorificato plenissimè sumus fruituri, ubi omnigenis donis & bonis erimus saginati, deliciis cœli saturati: ubi oblectemur Dei Patris charitate, qui nobis hunc Christum, mactatum vitulum donavit; Jesu Christi amore, qui pro nobis mactari voluit; Spiritus S. liberalitate, cui omnia hæc nobis applicare libuit. Huic Tri-uno vero, glorioso, benigno Deo Patri, Filio, Spiritui S. sit laus hoc, & in futuro convivio, amen, amen.

## C O N C I O X.

## T I T U L U S.

Amoris Christi documentum, pia  
animæ est obiectamentum.

TEXT. Luc. Cap. 22. 7. ad 14.

7. Venit autem dies azymorum, quo oportebat mactari pascha.
  8. Misit igitur Petrum & Joannem, dicens: Profecti para-
- te nobis pascha ut edamus.  
g. Ipse

9. *Ipsi verò dixerunt ei, ubi vis paremus illud?*
10. *At ille dixit eis, Ecce, postquam introieritis in urbem, occurret vobis homo aquæ amphoram bajulans: sequimini eum domum illam in quam ingredietur.*
11. *Et dicite patrifamilias illius domus, dicit tibi Magister, ubi est diversorum, ubi pascha cum discipulis meis edam?*
12. *Tunc ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum: illic parate pascha.*
13. *Profecti verò invenerunt omnia prout dixerat eis: & paraverunt pascha.*

## E X O R D I U M.

**M**axima & illustriora Dei opera, illustribus, maximis emicuere signis. Quot miraculis fuit insignita miraculosa illa Israëlitarum ex Ægypto educatio; in Canaan introductio; Salvatoris in mundum productio! Haud signo caruit Isaaci conjugis inquisitio, Gen. 24.14. Saulis in Regem electio, 1. Sam. 10. Samaritanæ mulieris conversio, Joh. 4. Hisce eximiis signis Deus sua opera coronat; hominibus illa commendat; & potentiam suam illis adumbrat: ut èd attentiori illa considerent animo; ardenter illa affectent desiderio; majori illa prædicent studio. Ut homines, in illis *operibus*, operatoris potentiam, munificentiam, sapientiam admirarentur, venerentur, osculentur. Ut in illis *operibus*, veluti in speculo, Dei amorem, Dei morem, Dei rem aspiciant, ei obediant, & ad confiencia illius mandata, alaci mente & pede accurrant. Egregium nobis, in prælecto hoc textu, exhibetur exemplum horum omnium, in Christo, ipsiusque Discipulis. Methodicè hæc ut di-

## P A R T E S.

I. Christi mandatum. II. Discipulorum obsequium.  
V O T U M.

Adornes, ô bene Jesu, cordis nostri conclave, gra-  
tum ut tibi existat palatium, quo sacra tua peragas,  
amoris tui signa prodas, quod bonis tuis repleas, ad  
nominis tui laudem, & populi tui salutem. Amen, &  
men, benissime Jesu, Amen.

## I. P A R S.

*Christi mandatum. Observes;*

- I. Tempus, quando.
- II. Personas, quibus aliquid mandetur.
- III. Mandatum ipsum.

I. Tempus, quando Christus aliquid mandavit. Venit  
autem dies azymorum, quo oportebat mactari Pascha. Il-  
lud tempus memoriâ dignissimum ingruebat cele-  
brandum, quo Judæis renovanda erat divina illa be-  
nignitas; aurea illa libertas, bonorum ubertas, illa il-  
lis, tempore, olim parta. Illo tempore azymorum ma-  
ctari debebat agnus Paschalis, immaculatus, separatus,  
festum, sacramentum cœnæ instituit: ille enim e-  
rat præfiguratus ille agnus, purus, quo electis vera,  
ex potestate infernalis Pharaonis, contigit liberatio.  
Ille salvator ore fidei erat comedendus, illius sanguis  
fidelis erat muniendus: in illo enim, pia anima,  
solarium & scutum, contra Angeli devastatoris  
insultum, invenire poterat.

DOCTR.

*Sacmenta sunt magni facienda.*

R A T I O. 1. Christus observat hic sacramentum.

2. Sacmenta sunt magni facienda: quia sunt divini amoris specula; foederis signacula; fidei fomenta; spei fulcra, *Rom. 4.11.*

3. Hæc spectant illæ Dei invitationes benignissime, *Esa. 55.1. & 27. Cant. 4.16.* 1. *Cor. 10.* promissiones amplissimæ, consolationes dulcissimæ, ut sacramenta, solatii illa principia, colerent.

4. Idcirco omnes pii sacramenta observarunt, *Act. 4.* & in illis Dei benignitatem adorarunt.

1. U s u s. *Correct.* Illi jam meritò culpandi mihi videntur, qui hoc tempus S. cœnam celebrandi non observant, ubi verum illud *Pascha*, Jesus Christus, de votæ animæ offertur. Si Judæi semper hoc *azymorum* festum, corporalis liberationis ex Ægypto testimoniūm, sanctè celebrarunt: tu profane, hoc festum solemne, sacram cœnam, signum & pignus liberatio nis spiritualis ex Ægypto infernali, contemnas, negligas? Celebrent Judæi suum festum *azymis*, & tu S. cœnam panibus celebres nequitæ, invidiæ, superbiæ fermentatis? O seculus! veniet tandem dies judiciorum; veniet dies suppliciorum, quo tu, impie, mæsteris diabolo; mæsteris inferno; mæsteris igne & verme, *Esa. 66.* mæsteris tenebris tormentis. O dios atros, funestos! O dies miseriarum fontes!

2. U s u s. *Admonitio.* Nostrum festum observe mus, sacrum hoc convivium celebremus panibus sinc eritatis & veritatis, 1. *Cor. 5.8.* misericordiæ & justi tiæ *Azy-*

*tix azymis.* Exultent Judæi in figuris, in umbris; in adumbrato, in præfigurato Jesu Christo nos exsultemus. Hic, in S. cœna, sacrificiorum est nucleus, bonorum est cumulus: hic in sacra cœna, Christus agnus offertur *mactatus*, quo tibi cibus est natus; in quo tibi potus est datus; caro enim illius, animæ est sustentatio, *Joh. 6.* sanguis illius, animæ est recreatio. In hoc *mactato* Christo, *mactatos* nostros hostes; debellatos nostros Pharaones; profligatos cacodæmones læti intuemur. In hujus *mactati* Jesu Christi morte, nostri vivificatio; sanguine, purificatio; dolore, refocillatio est sita, *Joh. 10.1. Joh. 1.7.* Hujus *mactati* agni sanguine postes animæ nostræ aspergendi sunt, *Exod. 12.7.* trucidator ille ut prætereat, pereat, nōsque intactos relinquat. Quoniam amor noster *mactatus* est, mactemus omnia peccata, prava carnis desideria, *Gal. 5. 24.* veteris Adami effecta, *Rom. 6.12.* ut hujus *mactati* Jesu odor & sapor; virtus & fructus, merita & beneficia, nobis magis magisque innotescant, nōsque reficiant. Quid dulcius hoc *mactato* Paschate, salutis fonte? beata, beata es, ô anima, illo dum frueris, quæ tua est vita & lætitia! *Hæc de tempore:* Audiamus jam;

I I. *Personas, quibus aliquid mandatur.* Non Judæus Christus aliquid hīc mandavit, quia ille indignus erat nomine ministri, quia dominum discipuli, quia magistrum prodere tentabat. Quid illi fœdifrago, cum fœdere, nefario cum Paschate negotii esset? Quæ huic profano, cum hoc sacro communio; quæ huic diaboli mancipio, cum Dei filio unio foret? Misit Petrum & Johannem, qui, ut oves, Christo Pastori; ut

ri; ut servi Christo dominatori; ut discipuli, Christo Doctori adhærebant. In illo salutem quærebant, mundana negligebant. Illis, ut sanctis, sanctum hoc munus assignare; ut discipulis, sacrum hoc negotium commendare; ut dilectis, fructuosum hoc mystrium communicare voluit. Quàm beati fuerunt hi legati, in solo cœlo nati! quàm nobili functione fides illorum fuit condecorata!

## D O C T R I N A.

*Personæ sacræ sacris perficiendis præficiendæ.*

R A T I O I. Petrus & Johannes hîc alegantur,  
ad sacra præparanda.

2. Margaritæ non suibus, panes non canibus ob-  
iiciendi, *Matth. 7.6.*

3. Quid illæ sacerdotum purificationes aliud in le-  
ge adumbrarunt, quàm ministrorum puritatem,  
sanctitatem?

4. Quid aliud ignis ille peregrinus, procul ab al-  
tari removendus indigitavit, quàm sacra sacrificia esse  
peragenda, & peccatorū fœditate minimè inficienda.

5. Si panes propositionis nulli, nisi puro, essent  
dandi, *1.Sam. 21.5.* Ergo ab impuro non etiam erant  
administrandi.

6. Quid illud Aaronis oleum; quid vestes puræ  
indigitarunt aliud etiam, quàm puritatem persona-  
rum sacra administrantium? *Exod. 28.*

7. Hinc illa pœna Prophetæ panem cum falso  
Propheta edentis, *1.Reg. 13.25.*

8. Non vult Deus sacra profanari, ut pœnæ illæ  
profanantium clarissimè innuunt.

1. Usus. *Correclio.* Quām plurimi hīc arguendi,  
qui homines dissolutæ vitæ sacrīs peragendis p̄ficiunt;  
sancta profanis committunt; margaritas suib⁹  
tradunt, *Matt. 7.* Absint, absint, & procul absint ab Ec-  
clesia, Christi sponsa, impuri hi paronymphi: A san-  
cta Christi domo scelerati isti servi: à sacrīs sacro-  
rum illi profanatores; Illi Judæ, Christi proditores:  
illi Judæ, crumenę amatores. Qui pluris aurum, quām  
spiritualem thesaurum, nummum, quām numen; ci-  
stam, quām Christum, confertam crumenam, quām  
S. cœnam aestimant. Qui avaritiæ stimulo impulsi,  
qui fraudulentiæ æstro perciti, cum Juda, impuro-  
rum cacodæmonum sunt mancipia. Ne sol majesta-  
tis nebulā impuræ vitæ obscuretur: & nomen Chri-  
sti blasphemetur.

2. Usus. *Admonitio.* Ablegentur ad sacra insti-  
tuenda, perficienda, Petrus & Johannes, Christi ser-  
vi, genuini Christi discipuli, qui sol & sals sunt popu-  
li, *Matth. 13.* gregis patroni, *i. Pet. 5. 3.* Virtutis specu-  
la, sanctitatis exemplaria, ut ita illa sacra, à sacrīs my-  
steria, à Dei ministris, procurentur; Ut nobilis Chri-  
sti sponsa nobilibus gaudeat paronymphis; ut illustris  
Christi cœna illustribus eniteat ministris: Ut sancti-  
tas illius coenæ, & in sanctis, dignitas illius, & in di-  
gnis eluceat Christi servis, ad gloriam glorioſissimi  
Iesu Christi. Hæc de personis: Jam sequitur  
III. Mandatum ipsum Dicens, Profecti parate nobis Pa-  
ſcha ut edamus. Notetur;

I. Quid faciant. II. Quare illud faciant.

I. Quid faciant. Observes;

I. PROM'

I. *Promptitudinem ad rem peragendam.*II. *Rem ipsam.*

I. *Promptitudo* in hoc consistit: *Profecti*. Non diu cunctemini: non h̄ic h̄erete, cum carne vestra consultate; Quia à me sanctificatore, non nisi sancta; à me Salvatore, non nisi salutaria prodeunt. *Profecti* cum gaudio, cum desiderio, cum zelo, ad salutis vestræ negotia peragendum.

## D O C T R I N A.

*Deus desiderat promptitudinem, alacritatem in munere demandato perficiendo.*

R A T I O. 1. *Profecti*, scilicet, mox abjecta omnī cunctatione.

2. Nōnne subditi, Regis, filii, patris; servi, gubernatoris evestigio exequuntur mandata?

3. Quid charius, quid salutarius, quid jucundius, quid utilius excogitari potest, quām Dei mox effice voluntatem?

4. Illi benedicti, ut effato elucet, *Jer. 48. 10.* Quia maledicti, qui opus Jehovę faciunt cum fraude.

5. *Psal. 95. 7.* Hodie, si vocem ejus audieritis.

6. Quod Samuel Sauli dixit, hujus est loci: Fac quod obvenerit manui tuae, *1. Sam. 10. 7.* ita & nullę mortæ divino in negotio nectendæ.

7. Si Davidis duces evestigio, in aqua apportanda, ipsius satisfecerint petitioni, *2. Sam. 23. 16.* Nōnne homines Dei mox respondeant voluntati?

8. Quām prompti fuerunt sacri illi vates, nobilissimi illi Dei Prophetę, illi Apostoli, in premenda, perficienda Dei causa! Nulla impedimenta, tormenta nulla

1. Usus. *Correctio.* Quām plurimi, eheu! moderno hoc tempore, non profiscuntur ad illa loca, ad quæ illos divinum vocat mandatum. Illi tergiversantur, variasque nectunt excusationes: ut Moses, cum ipsi profiscendum esset ad Pharaonem, *Exod. 3.11.* Et Jeremias, cum ipsi profiscendum esset ad populum Israëliticum *Jer. 1.2.* Illi similes sunt Lotho; nam apprehendendi & ad Dei mandatum perficiendum trahendi sunt. Illi haud dissimiles invitatis ad salutis cœnam, varias, vanas, & frivolas texentibus excusationes, *Luc 14.18.19.* Profiscuntur ad mundanarum voluptatum loca, cum Dema, *2.Tim. 4.10.* Profiscuntur ad mundanarum opum loca, cum isto juvene, *Mattb. 19.22.* Quo profecti offendunt ilias malorum, ieroram calamitatum.

2. Usus. *Admonitio.* Profiscamur ad illa loca, ad quæ mandatum divinum nos rapit, dicentes cum Samuele: Loquere, quia servus tuus audit, *1.Sam 3.10.* Profiscamur ad ecclesiam, spiritualem nostram matrem, *Gal. 4.26.* ad S.cœnam, consolationis fontem; ad Euangelii prædicationem, fidei scaturiginem, *Rom. 10.17.* Profiscamur cum gaudio, ut ille Eunuchus, dynastes Candaces reginæ Æthiopum, *Act. 8.39.* Profiscamur cum zelo, ut Paulus profiscetur ad prædicandum gentibus Euangeliū; profiscamur ad loca à Deo nobis monstrata, cum Abraham; profiscamur ad ubera consolationis, *Esa. 66.11.* ad lagenas spiritualis voluptatis, *Cant. 2.5.* ad delicias ineffabilis refectionis; Profiscamur Spiritu S.duce, comiti fidei;

te fide: proficiscamur inflammati Dei amore, sacri convivii ardore: O beatos hoc facientes! Reperturi sunt S. cœnam, & in illa, Christum, cornucopiae, fontem æternæ vitæ, Joh. 6. Jam sequitur ponderanda,

II. Res ipsa: Parate nobis Pascha, id est, agnum scil. jugulando, assando, ad edendum: Agnum Paschatis, tenui transitus signum, & commemorationem, Exod. 13.16. Christus ex amore & favore illos muneri huic divino peragendo præficit, ad maximum illorum honorem. Parate nobis Pascha, Dei ut contemplemur benignitatem; illius ut osculemur amorem; illius ut veneremur veritatem.

## D O C T R I N A.

*Deus per ministros suos hominibus gratiæ mensam in Euangelio adornat.*

RATIO I. *Parate nobis Pascha.*

2. Illi ministri, manus, per quas gratiæ thefauros illis porrigit, per prædicationem verbi, illis viam sternit; per admonitionis illorum lucernam, illos ad gratiæ suæ tragemata dicit.

3. Hinc illorum acerrimè increpationes, seriæ admonitiones, suavissimæ consolationes, hominibus mensa gratiæ ut adornetur, Luc. 14.

4. Ideò clamant per totum diem: Revertimini, Esa. 21.12. ideò intonant illud: Reconciliamini Deo, 2. Cor. 5. 20. ideò illos invitant, Heus, quisquis sit, veneite ad istas aquas, Esa. 57. 1.

5. Ferculorum spiritualium prædicant nobilitatem; illorum decantant utilitatem, Esa. 25. 6. & 55. 1. 2. Cant. 5. 6. Per illorū ministerium Deus illis largitur

306 DE SACRA COENA  
oculum, quo mensæ dignitatem aspicere; manum,  
qua mensæ ubertatem accipere; os, quo mensæ sua-  
vitatem sapere possint.

1. *U s u s . C o r r e c t i o .* Ah! quām multi sunt, qui-  
bus *parata Pascha*, Iesus Christus, invitatione, oratio-  
ne, admonitione; & tamen ad illud *paratum*, in cruce-  
maectatum, in S. coena illis oblatum, advolare recu-  
sant. Illud *Pascha* amaris crucis herbis illis non sapit;  
beneficia, per illud *Pascha*, parta, mens illorum non  
capit; sanguinem illius, manus fidei cordi non asper-  
git, *Exod. 12.* Peribunt illi, ut olim in populo Israëlitico  
*Pascha* non edentes: *parata* mundi mensa illos magis  
capit, quām Christi S. Coena, *Luc 14.* *Parata* mundi  
fercula magis illos afficiunt, quām *parata* Christi tra-  
gemata. O Vesaniām! mundi cibus, est animæ la-  
queus: in illis ferculis *parata* tormenta, *parata* lamen-  
ta: paratus laqueus, paratus infernus.

2. *U s u s . A d m o n i t i o .* Advolate, ô fratres, ad *PA-*  
*scha* Christum *paratum* vobis in Euangeliī mensa, *Ps.*  
*23.* in quo *Paschate* Christo vestra liberatio, *Rom. 8.* In  
quo *Paschate* iræ divinæ sedatio. In quo *Paschate* vi-  
va consolatio *parata* est. In illo *Paschate* *parato*, cibus  
animæ delicatissimus; in illius sanguine potus ani-  
mæ suavissimus, *Joh. 6.* reperitur. In illo *Paschate*  
Christo, impuro, justificatio; captivo, liberatio; op-  
presso, allevatio contingit. In illo *parato* *Paschate*, via  
ad cœlestem Canaan est tibi *parata*, ut Israëli creden-  
ti ad utrūmq[ue]. In illo *parato* *Paschate*, tibi salutis  
janua referata; æterna gloria adornata, *Joh. 14.* In illo  
*parato* *Paschate*, *paratum* cordi gaudium; *paratum* cor-  
pori

pori medicamentum; paratum ori est canticum. In illo Paschate parato, paratum pugnanti scutum; paratum deficienti perfugium; paratum decumbenti remedium: In illo parato Paschate, omnia desiderabilia, delectabilia, corroborantia, saturantia, pięanimae sunt parata, sunt oblata. Hactenus audivimus, quid faciant: Audiamus jam;

II. Quare illud faciant: ut edamus: Nos oblectemur in amore Dei Patris cœlestis, qui me vult esse victimam pro electorum peccatis; cibum salutis. Qui ordinavit me in cœli paratorem, inferni debellatorem; ut edamus, & in amore Dei Patris ineffabili erga genus humanum exsiliamus, illumque laudibus evehamus. Edamus, & videamus, quam benignus sit Deus Pater, qui morte mea, vobis, vitam, cruce, gloriam ordinavit.

## D O C T R I N A.

Sacramenta non tantum affectanda, sed & applicanda sunt.

- RATIO. 1. Ut edamus: ut illis fruamur.
2. Uti, frui debent, sacramentis, qui usus, sacramentorum est scopus, medulla, anima.
3. Quod nux est sine nucleo, hoc est sacramentum absque usu legitimo.
4. Non tantum agnus Paschalis erat aspiciendus, Exod. 12. sed & comedendus: ita & sacramenta sunt sumenda.
5. Dicit 1. Cor. 11. 28. Edat de hoc pane. Cant. 5. Comedite.
6. Applicanda, ut illorum sacramentorum dignitas pie

308 DE SACRA COE N A  
tas pio magis innotescat; suavitas palato illius allu-  
bescat; venustas animo illius magis illucescat.

7. Applicanda, ut grata Christi memoria renove-  
tur; debita, Christi mandato, obedientia præstetur;  
totus homo corroboretur, & contra Satanæ insultus  
armetur.

1. Usus. *Correætio.* Ah! Quanta illorum existit  
copia, qui nolunt *edere* cum Christo, sed potius cum  
diabolo, mundo, carne. Qui *edere* nolunt ob aliorum  
vitia, multorum scandala, maximorum peccata. Qui  
*edere* nolunt cum Christo salutis fonte. Qui malunt  
*edere* cum diabolo proditore, quæcum cum Christo  
Salvatore; diabolo trucidatore, *Joh. 8.* quæcum cum  
Christo vivificatore; diabolo seductore, quæcum cum  
Christo salutis ductore, *Heb. 2.* Ó Dementiam! *Edere*  
malunt fercula mortifera, quæcum salutifera; venenum,  
quæcum medicamentum; *Edere* nolunt Pascha, ob ama-  
ras crucis herbas, quibus capitur: *Edere* nolunt Chri-  
stum, ob acerbas persecutionis spinas, quibus cer-  
nitur.

2. Usus. *Admonitio.* *Edamus*, ut æternum viva-  
mus; *Edamus*, nos sponsa, cum Christo sponso; vulne-  
rati, cum Christo medico; miseri, cum Christo Re-  
demptore; injusti, cum Christo justificatore; captivi,  
cum Christo liberatore. *Edamus*, ut *Paschatis* hujus  
Jesu Christi virtus nobis communicetur; *Edamus*, ut  
hujus sanguine anima ab interitu vindicetur; *Edamus*,  
ut cor nostrum de amore Dei certificetur. Quid sua-  
vius hoc agno Paschali, quo suavitas amoris Dei nos  
reficit? Quid fructuosius hoc agno Paschali, ex quo  
fructus

fructus illius in nos fluit? Quid salutarius agno illo Paschali, quo salus pio pectori contingit? Hæc de mandato: Jam sequitur;

## II. P A R S.

*Discipulorum obsequium.* Notentur;

I. *Discipulorum quæstio.*

II. *Christi responso.*

III. *Discipulorum assensio, sive obedientia.*

I. *Discipulorum quæstio:* ipsi verò dixerunt ei, ubi vis paremus illud? ipsi, Petrus & Johannes. Illi rem hanc paulò sagacius perponderant, & non inconsideratè illud negotii peragere tentant. Quoniam illos fugiebat locus specialis, diversorum nimirum, quo tutò, civitate incolarum & advenarum catervâ, & malitiâ scatente, apud hospitem pium, Christi juxta mandatum, latitare, cum ipsoque Pascha celebrare possent. Accuratius itaque in illud inquirunt, ne errorem committerent, sed omnia ad Christi nutum perficerent, qui hîc solus erat observandus, cuius voluntas sola hîc erat attendenda, & juxta illam, veluti normam, omnia erant peragenda.

## D O C T R I N A.

*Sacra omnia, Dei juxta voluntatem, sunt peragenda.*

RATIO 1. *Ubi vis paremus illud?* Ad tuum nutum parati sumus omnia confidere, & ita nos reficere.

2. Illa voluntas debet esse regula omnium actiōnum; norma sacrorum; Iydius lapis functionum.

3. Ut Deus tabernaculum suum voluit secundum revelatam ideam ædificari, Exod.25. ita & vult

4. Nulla h̄ic hominum attendenda decreta, sed  
Dei tantum, in sacris perficiendis, præcepta.

5. Servi juxta beneplacitum Domini & non sui,  
omnia exequuntur, ita & homines, in sacris pera-  
gendis, non cerebri figmenta, sed summi Domini  
pigmenta sequantur.

6. Hominum ratio h̄ic cœcutit, & consiliarius  
foret pessimus salutis in negotio.

7. Faciatis ea, quæ vobis præcipio, *Jer. 31.4. 05*  
Dei consulendum, *Esa. 30.2*. Verbum Dei sequendum,  
*Psal. 119.105*. Illud pedi & dux, & menti est lux.

8. Moses & Aaron, omnésque Prophetæ & Apo-  
stoli, juxta voluntatem Dei, omnia peregerunt.

9. Pœna incumbit contrarium facientibus, *Job.*  
*9. v. 14.*

1. Usus. *Correctio*. H̄ic corripiendi, qui multa  
non intelligunt, & tamen in genuinum illorum sen-  
sum non inquirunt. Non mirum illorum mentem  
ignorantiae nebulis esse involutam, quia non inqui-  
runt in scientiæ lucem; Illi dubii de vera religione,  
non dicunt, ubi vis illam comparemus? illorum consci-  
entia turbata, non dicunt, ubi vis illius tranquillita-  
tem comparemus? Non attendunt, quid velit Chri-  
stus, sed Anti-christus; non Sacerdos summus, sed  
Pontifex Romanus. Omnia in Papatu parantur, jux-  
ta Paparum & Papæ decreta, concilia, traditiones, in-  
ventiones. Hinc illa abominanda missa, detestanda  
idolatria prognata. Hinc illæ vigiliae, preces hora-  
riæ pro-

riæ productæ. Quis, ô Pontifici, vobis dixit, ut ibi pararetis verum agnum Paschalem? Quoniam Christum non interrogatis in Euangilio, dicentes, *ubi vis paremus illud Pascha?* non rectè illud estis paraturi: non in animis auditorum illud *paraturi*; non in missa vestra illud *paraturi*. Quis enim jussit vobis ibi illud *parare?* Qui paretur Christus verum illud Pascha, in loco superstitione fœdato; idolatria conspurcato? Non tali conclavi gaudet *parari* Christus, sed verbi prædicatione.

2. *U s u s. Admonitio.* Dictum sit vobis hoc. Deest vobis sapientia? percontamini illam comparandi media. Sunt quædam dicta obscura? inquirite in illorum lumina: *Dicite, cum discipulis: ubi vis paremus, bone Jesu, convivium?* Qui convivii tui erit locus? Quodnam illius conclave? ô beatos nos, si inquireremus in locum illum! Christus nobis illum aperiret, summum nostrum ad gaudium; maximum ad solatium; exoptatum animæ vulneratæ ad remedium. Etsi interrogaremus Salvatorem, exclamantes: *ubi vis illud paremus:* nónne ita nobis occurreret? In corde tuo contrito; spiritu fracto; animo humiliato volo illud *parari*, *Esa 66.57.* Licet cœlum sit palarium meæ gloriæ; tale tamen cor est palarium meæ gratiæ. O suavissimum suavissimi Jesu responsum! Quid insuper desiderares anima electa, delecta? *Hæc de discipulorum quæstione:* Jam ventilanda sequitur;

I I. *Christi responsio:* *At ille dixit eis; Ecce, postquam introieritis in urbem, &c.* Ubi notetur, quid Christus indicet;

I. Locum, quem petant.

II. Quid in via offendant.

I. Locum, quem petant, quod spectat: At ille dixit eis, Ecce postquam introieritis in urbem. Christus illos in locum inquirentes non rejicit, sed illos de eo preclarè instituit, & miraculo quodam cuncta munit. Per urbem intellige Hierosolymam: Ecce, non parvi, sed maximi ponderis negotia, admiranda, celebranda vobis commendo. Postquam introieritis in urbem Hierosolymam; Hierosolymæ cultus sacer peragendus, Ps. 132. 13. 14. Hierosolymæ agnus Paschalis comedendus, Deut. 16. 5. 6. Hierosolymæ Christus interficiendus erat, Matt. 26. 1. Ideò Hierosolymam peterent.

### D O C T R I N A.

In Dei Ecclesia, sacramenta sunt administranda.

RATIO. 1. Postquam introieritis in urbem.

2. Ibi est populus Dei, qui illis delectatur, quorum animus illorum fructibus corroboratur.

3. In Ecclesia Dei sunt homines, qui sacramentorum dignitatem aestimant; qui illorum splendorem rectè aspectant; qui illorum utilitatem cordi applicant.

4. In ecclesia sunt homines, qui Christum sacramentorum thesaurum manu fidei apprehendunt; fidei capsulae includunt; oculo fidei aspiciunt.

5. Ibi sunt homines, quibuscum Deus fædus suum instituit; quibus sacra menta tradidit; quibus bona promisit.

6. Illa, vera ecclesia, Christi morte, revivificata, Joh. illa, Agni sanguine, mundata, Apoc. 7. 14. illa, Spiritu Dei,

Dei, renovata, *i. Pet. i.* illa, virtutibus variis, est nobilitata; idcirco in illa sacramenta sunt dispensanda.

7. Illa Sponsa, *Cant. 4.* ad quam Sponsi Christi annulus; illa dilecta, ad quam hic thesaurus; illa electa, ad quam haec paradiſus spectat, sacramentorum nimirum administratio.

1. *Uſus. Correctio.* *Ah, ah, bone Iesu,* quām multæ sunt *urbes*, quæ te non recipiunt! *Hæc urbs & hostibus redundans, te recipit;* Bethlehem in humana tibi, & in stabulo, locum præbuit, *Luc. 2.7.* Capernaum ingrata, *Matth. ii.* tibi & domicilium concescit: Sed quām plurimæ mundi *urbes* te recipere recusant, ut in sylvis, speluncis, in montibus, in ruderibus latitare cogaris! Quamvis abjectus sis, cœli solique tamen es Dominus; ipsas interim hominum gubernas mentes, inclinas ad obsequium illorum voluntates. Quām infelices illæ *urbes*, Christo hospitia denegantes! Nam illæ *urbes* vitiorum latibula; Diabolorum antra; peccatorum domicilia existunt; ita, ut illis *urbibus* conspicatur tantum crux, & nulla lux; Dei ira, & nulla gratiâ; afflictio, & nulla consolatio. Ubi enim Christus non recipitur, ibi Diabolus animadvertisit. Illæ *urbes* Christum recipere detrentantes, luce Euangeli destitutæ, horrendis involventur tenebris; & illas *urbes* malorum *introibit* ilias; illas *introibit* *urbes* summa calamitas; illas *introibit* *urbes* hostium crudelitas. ô funestum illarum *urbium* statum!

2. *Uſus. Consolatio.* Quām felices, quām beatæ sunt hæc unitæ provinciæ, quām faustæ illarum *urbes*, quæ

Quæ Christum excipiunt! Illæ enim *urbes* Christum excipientes, excipiunt omnium bonorum fontem; in cruce, gaudebunt Christi luce; in afflictione, Christi refectione, in oppugnatione, Christi propugnatione. Nam in afflictionum tenebris, illis *urbibus* Christus erit grata lux; in pugna, victoria; in labore, merces; in tentatione, clypeus; in morte, vita. Illas *introibit urbes*, Jesus Christus, piorum clypeus, navigantium portus: Illas *introibit urbes*. Jesus Christus, qui Angelorum præsidio illas muniet *urbes*, Psalm 34. qui potentiae suæ manu illas defendet *urbes*, Psal. 81. qui omniscientiae suæ oculo hostium molimina irrita faciet, Psal. 2. & 121. Esa. 8. En exoptatum talium *urbium* statum. Percepto hæc tenus loco: Percipiamus jam;

**II. Quid illi in via ostendant.** Notetur;

I. *Quis illis occurrat.*

II. *Quid ille faciat.*

III. *Quid illi agant.*

IV. *Quid illi dicant.*

I. *Quis illis occurrat.* Occurreret vobis quidam homo. Christus desiderat celebrare hic Pascha cum homine sibi addicto, & hic illius nomen subtricet ne illum forsan invidiae & malitiæ Judæorum telis obtrudat; ne proditori locum nimis maturè aperiat; admirandæ conscientiae & omnipotentiae suæ detectis signis, illos adversus ingruentis adversitatis insultus, muniat. O adorandam Christi divinitatem! Licet pauperimus sit; Licet ædificio nullo ditatus sit; Licet abjectus sit: tamen revera est ditissimus, cœli terræque

que creator. En tibi splendoris illius, dignitatis illius radium, in hac omniscientia, lucentem, splendentem. Prædicit hic futura, imò exprimit discipulis ad vivum eventura. Occurret vobis quidam homo, homo, inquam, mihi addictus; Homo, ad annuendum vestræ petitioni, promptus; Homo, servus domini mihi consecrati; Homo, cuius ductu ducamini ad diversorum. Occurret, vobis quidam homo, animo benevolentio, vester tanquam amicus & servus.

## D O C T R I N A.

*In Ecclesia Dei, Christi inveniuntur amici.*

R A T I O. 1. *Quidam homo vobis occurret: nempe Hierosolymę, tanquam amicus meus, & amici servus.*

2. Ibi Christus diligitur, agnoscitur, recipitur.

3. Ibi Christi bona exceptantur, oblata acceptantur, accepta applicantur.

4. Ibi hominum animę Christi carnem esuriunt, *Esa. 6.* sanguinem sitiunt, merita expectunt.

5. Ibi homines Christum invitant, lautè tractant, & in ipsius gratiosa præsentia exultant, *Act. 8.*

6. Ibi est Anna quædam, ipsius beneficia decantans, *Luc. 1.* Maria quædam, ipsius merita ebuccinans; Zacharias quidam, ipsius facta delineans, *Luc. 1.* Simeon quidam, ipsius gratiâ exultans, *Luc. 2. 28.*

7. Ibi sunt homines, qui Christo se & sua omnia consecrant; cordis domicilium pœnitentiæ lacrimis mundant; præsentię illius desiderio flagrant.

8. Ibi illud exauditur: *Veni Jesu, veni,* *Apoc. 24. 17.* cœlestē illud manna, cibus esurientium, potus sitientium, unicè desideratus; Ibi Regi gloriæ cordis valvæ aperiuntur, *Ps. 24.*

1. Usus. *Corre<sup>t</sup>io.* O deploratos seculi hujus mores ! occurrit fere nullus homo Christi ministris, S. cœnam adornaturis, qui Christum excipere, cum ipso cœnare gaudet. Occurrunt sœpè Christi ministris fronte corrugata; lingua male feriata; anima exacerbata; ita, ut, Christus locum, in illorum corde, inventire nequeat. Occurrunt Christi ministris saxis & minis, ut Judæi illi furibundi occurrebant Stephano zeli admirandi speculo, *Act. 7.* Ut Achabus irâ inflamatus occurrebat Eliæ cœlo soloque charissimo, *1. Reg. 18.17.* Qui hîc jam ministris Christi occurrere nolunt, ad Christo, in animo, præbendum hospitium; illi occurrent tandem Diabolo, ut ab ipso accipient supplicium. Qui noluerunt occurrere luci, occurrent tandem caligini, *Matth. 22.* ut instar Sodomitarum coe<sup>t</sup>utiant, & januam ecclesiæ non inveniant, *Gen. 19.* Qui occurrere nolunt Christi ministris, illi occurrent tandem Diaboli servis; Qui occurrere detrectant saluti, illi occurrent interitui; Qui occurrere subterfugiunt animarum Salvatori, occurrent tandem animarum proditori, leoni isti rugienti, *1. Pet. 5.* infernali isti serpenti, hosti isti saevienti. Qui occurrere nolunt cœlo, occurrent tandem inferno. Væ, vae istis servum Christi contemptoribus.

2. Usus. *Admonitio.* Hoc, ô fratres, animos auresque vestras feriat: Hic homo occurrit Christi ministris fronte serenâ, linguâ blandâ, animâ morigerâ; ita & vos Christi ministris occurrite, ut nihil charius sit vobis illis, *Acto<sup>r</sup>. 16.* Christi adventum annunciantibus; Occurrите illis ministris, ut in illorum amplexus ruatis,

ruatis, vel illos diligatis, Gal. 4. 15. Occurrите illis, ita,  
ut valuas cordis, & portas huic Regi glorię aperire,  
Psal. 24. cum Zachaeo in domum, imo in animum, il-  
lum recipere, Luc. 19. 6. paratissimi sitis. ô beatos vos !  
Christus occurret vobis ultimo judicio, ad salutem,,  
& beatitudinem; gloriam, & lætitiam; gaudium, &  
tripudium. Occurret vobis coronā, 2. Tim. 4. 8. Ad  
vos, suos hospites, coronandum ; stolā, Apoc. 7. 13. 14.  
suę justitię, ad vos, suos hospites, ornandum; manna  
cœlesti, Apoc. 2. 17. ad vos, suos hospites, lautissimè tra-  
ctandum. Si ita occursuri estis Christi servis, ille oc-  
curret iterum animæ vestræ afflictæ, auxilio; mœstæ,  
solatio; tentatę, clypeo. Christus occurret tibi mil-  
tero, salute ; tibi languido, S. Spiritus virtute ; tibi mo-  
rituro, cœli beatitudine. Christus occurret tibi vicif-  
sim, ut sponsus benignus suę sponsę; linguā affabili,  
oculo amabili, manu delectabili. Hæc de illo qui di-  
scipulis ejus occurret. Attendamus jam ;

II. Quid ille faciat. Aquæ amphoram bajulans. Hoc  
exprimit, ut personam discipulis perfectè depingat,  
ne errare possent, & ut eo alacriori animo Domini  
jussa peragant. Et per aquæ amphoram, crucem suam  
illis delineat : nam aquæ nomine, sacro in codice,  
crux sæpenumerò venit; & simul innuit naturam ve-  
rorum suorum amicorum, illos nimirum cruci esse  
& fore subiectos.

## D O C T R I N A.

Christum recepturus, crucem ferat necesse est.

R A T I O. I. Aquæ amphoram portans; quâ aquę am-  
phorā crux adumbrari potest,

2. Crux est signum Christiani; imago Christi servi, symbolum Christi discipuli, Matth.16.

3. Crux in Christi schola verbis inculcatur; exemplis dilucidatur; parabolis adumbratur.

4. Per crucis viam homines ad Christum per rumpunt; per crucis nebulam Christum aspiciunt; per crucis tolerantiam Christum recipiunt.

5. Hinc illæ Christi ad crucem adhortationes, Matth.16. Marc.7. &c.

6. Hoc exemplis apparet omnium illorum, qui Christum receperunt, crucem in se receperunt.

1. Usus. *Correctio.* Per pauci reperiuntur, aquæ amphoram qui bajulare desiderant: malunt bajulare amphoram voluptatis, quam acerbitatis; amphoram ebrietatis, quam sobrietatis; amphoram vini, quam aquæ; amphoram lætitiae, quam tristitiae: Abhorret animus illorum, aquæ, tristitiae amphoræ, cum Dema., 2. Tim.4. cum juvēne, Matth.19.22. cum Gergesenis, Matth.8.34. Maluit cum luxuriosis Sodomitis, perversis primi mundi incolis, dissolutis Israëlitis amphoras vini, Esa.5. quam aquæ evacuare. Nolunt bajulare amphoram, Christi jugum, similes indomitis bestiis, jugum excutientibus; bajulare amphoram, Christi crucem; similes quam plurimis à Christo deficientibus. Non sapit illis aquæ in crucis amphora, est illis amara, ut aqua Israëlitis primò in deserto erat, Exod.15.23. Est illis impotabilis, ut aqua Jerichuntis incolis erat, tempore Elisei, 2. Reg.2. Sed qui ignominię amphoram bajulare detrectat, & ille gloriæ amphoram non accipiat. Per amara enim, ad dulcia; per angusta, ad Augusta pene-

sta penetrandum est. Christus ad illos, non venturus est, qui crucis charactere non sunt insigniti, & aquæ *amphora* instructi. Illos non agnoscit ut hospites, sed & hostes: non ut amicos, sed inimicos, *Matth. 10.* non ut fratres, sed ut voluptatum patres.

2. Usu s. *Admonitio.* *Bajulemus* nos alacri animo aquæ *amphoram*, tristitiae *amphoram*; *amphoram* penuriae, *amphoram* injuria. Hæc *amphora* est signum, Christum, apud nos, cœnaturum: Christum, in nostro animo habitaturum: Christum, gratiâ suâ peccatus nostrum, esse coronaturum. Sit aquæ, sit crucis *amphora* carni portatu difficultima; sit afflictionis aquæ corporis palato amara; est nihilominus *amphora* saluberrima. Nam per illam *amphoram* Christi erimus participes; illius charissimi hospites; imò illius dilectissimi fratres. Hanc aquæ moestitiae *amphoram* si bajulaturi sumus, *amphoram* lætitiae & bajulabimus; *amphoram* enim crucis, *amphora* lucis; *amphoram* ignominiae, *amphora* gloriae; *amphoram* inopiae, *amphora* opulentie excipit: ut Elisæus istas Jerichuntis aquas infanas, reddebat saluberrimas, *2. Reg. 2.* & baculus Moses aquas Israëlis amaras, suavissimas, *Exod. 15.* Ita verus Elisæus & Moses Jesus Christus tuam aquam, in vînum, *Joh. 2.* illas crucis aquas amaras in dulcissimas convertet, si non fiet in solo, fiat in cœlo, ubi repletas tuas *amphoras*, fluminis voluptatis cœlestis aquâ, latus leto intuearis vultu. O bone Jesu, quis jam non bajularet ejusmodi aquæ *amphoram*, te ut potiretur, ante ut reficeretur, S. in cœna, gaudii nostri, in hoc mundo immundo, scatebra? Sed corrobores nos, ne hujus.

ne hujus *ampboræ* onere deprimamur; ne hujus *ampboræ aquæ* amaritudine à te absterreamur: Sed ut alacri pede, hilari corde *eam*, licet carni ingratam, voluptati adversam, *bajulemus*. *Bajulemus amphoram* ad S. tuum epulum, ut illius *aqua*, in vinum; tristitia, in gaudium, ibi commutetur. Tu, ô Christe, *aquam in hydriis* in vinum præstantissimum qui commutaisti, nonne, in S. cœna, & nostrum planctum, in plausum, sletum in risum convertes? *Hausistis quid faciat*: *Arripite jam*;

III. *Quid discipuli agant. Sequimini eum in domum illam in quam ingredietur, v. 10.* Non istum hominem tantum debebant intueri & alloqui, sed & eundem sequi in domum illam, in quam ingrederetur; esset enim futura beata domus Christi tandem ob præsentiam, & hospitis Christi ob benevolentiam. Beata, inquam, *domus* Jesu Christi ob præsentiam, quia ille, instar solis, tristitiae tenebras ibi dissipaturus; instar solatii fontis, discipulorum pectora consolationis rivulis ibi esset refectionurus. ô beatas ædes!

### D O C T R I N A.

*Huic Ecclesiæ quâ crucis doctrina ventilatur, homines se se adjungant.*

R A T I O. 1. *Sequimini eum.*

2. Illa enim est vera Ecclesia, quæ Christi donis & bonis, beneficiis & meritis utatur ac fruatur.

3. In illa, suo sancto Spiritu, oleo illo lætitiaz est præsens, *Psalm. 45.* in illa, mœstos refocillat, *Ezech. 47.* ægros sanat, miseros salvat, oneratos allevat, *Matth. 11.*

4. In illa certandum, ob coronam; cursitandum, ad metam; aspirandum, ad gloriam.

5. In illa, præponitur crucis doctrina, *Matth. 16.*  
afflictionis via, *Act. 14.* Christiani patientia, *Rom. 5.*

6. Exempla: huic se adjunxerant omnes Sancti, omnes Apostoli, omnes candidi Christiani.

7. Ibi arca vitæ, scala gloriæ, via lætitiae.

8. in illa enim per amara, ad dulcia; per angusta, ad augusta; per crucem, ad lucem; per acerbitudinem, ad voluptatem penetrandum.

1. **U**sus. *Correctio.* Quàm plurimi, moderno hoc sæculo inveniuntur mortales, qui hominem aquæ tristitiae amphoram bajulantem in *domum Dei*, in Ecclesiam Christi, ad S. Cœnam sequi recusant. Sequentur homines bajulantes amphoras vini delicatissimi; amphoras gaudii in *domum mundi*, *domum tripludii*, ubi regnat iniquitas, exulat pietas; ubi florent peccata, & deflorescunt Dei mandata. ò funestas & calamitosas *domos*! quas Christianus cum voluptate non *ingreditur*; quibus Christi convivium non instituitur. *Domus*, ubi non Christus, sed diabolus; non Dei gratia, sed illius ira, animadvertisit! *domus*, viatorum latibula, Satanæ lustra, miseriarum barathra, iniquitatum fomenta! Hasce *domus* qui *ingreditur*, Dei *domum*, illius ecclesiam *egreditur*: hisce qui se adjungit, à *domo* Dei deficit: hujus leges qui approbat, *domus* Dei leges rejectat. Nónne illæ *domus* similes erunt tandem Sodomæ domibus, *Gen. 19.* quas ultrix illa flamma absumpsit? *Domibus* Pelischithæorum, quas Deus per Samsonis manus diruit? *Jud. 15. 30.*

*Domui Gehasi, & Joabi, à qua plagæ Dei se nunquam avertunt?* 2. Reg. 5. Illæ mundi *domus*, animæ erunt interitus, ad infernum transitus. Qui diabolum & mundum, hasce *domos* ingredientes, sequitur, ille sequitur hostes, animæ pestes, conscientiæ tortores. Qui cum hisce hasce *ingrediuntur domos*, illi sua *ingrediuntur ergastula, barathra, tormenta.* O pestiferas, imò lethiferas *domos*.

2. Usus. *Admonitio.* Sequamur virum bajulanten aquæ amphoram in *domum*, quam *ingredietur, domum* Dei, *domum Christi, domum crucis, domum lucis*, quia florent Dei eloquia; ex qua fluunt gratiæ illius flumina, Ps. 36. qua reficiunt nos Christi sacramenta. Illa *domus* est palatum gratiæ Regis Iesu Christi, quo cœnam suam ille Rex, nobiscum suis subditis: ille Sponsus, nobiscum sua Sponsa: ille Pater, nobiscum suis liberis, celebrare gestit. Illa *domus*, illa ecclesia, est Dei *domus*, & cœli ibi sunt portæ, ut Jacob asserebat de loco, quo cœlesti visione fuisset recreatus, & corroboratus, Gen. 28. 17. Illa *domus* est beata ob Christi cœnam, ut Obed-Edomi *domus* erat benedicta, arcæ ob præsentiam, 2. Sam. 6. 11. Illa *domus* ob Christi Angeli magni consilii præsentiam, & cœnam, hostium contra insultum, est munita, ut Loti *domus* erat, Angelorum ob præsentiam, Sodomitarum ab incursu, tutæ, Gen. 19. Huic *domui* continet salus, ut Christus dicebat de Zachæi *domo*, Luc. 19. 9. Illa *domus*, illa Dei ecclesia, piæ animæ est schola; in illa, *domo* afflictæ animæ arma; in illa, *domo* mœsta, gaudii scatebra; in illa, *domo* gratioſa Dei animadvertisit

Vertitur præsentia. Ut in S. cœna nobis adumbratur, ob-signatur: ut unusquisque de hac domo possit exclamare, ô quam gloria! ô quam fructuosa! ô quam salutifera! ô quam cœlifera est ista domus, consolationum cumulus! Hæc de Discipulis, quid agant. Sequitur: IV. Quid dicant. Ubi observes:

I. Questionem.

II. Responsionem.

I. Questionem quod concernit, notetur et

I. Author.

II. Questio ipsa.

I. Authorem quod spectat: Observetur:

I. Quomodo appelletur.

II. Quid desideret.

I. Quomodo appelletur. Et dicite patrificamilius illius domus. Dicit tibi magister: dicit ille jubendo, dicit persuadendo, Matt. 26.18. Dicit ille tanquam Propheta ille magnus; Docttor ille sapientissimus, cuius pedes salutiferi; sermones melliti; cuius lingua arbor virtæ; cuius doctrina scaturigo lætitie: ille magister tibi dicit, & non nos, illius discipuli; ille Dominus, & non nos, illius servi; ille hoc vult, cuius voluntas est sanctissima; ille hoc petit, cuius petitio est honestissima.

### D O C T R I N A.

In Dei mandatis proponendis, illius voluntas semper est urgenda.

RATIO. I. Dicit tibi magister, qui petit, præcipit, vult.

2. Illa Dei voluntas est instar fulminis, ad homines per-

nes perterendum, instar funis, illos ad trahendum;  
instar calcaris, illos ad impellendum ad obsequium.

3. Illa voluntas Dei proposita, est instar ignis ca-  
lefacientis frigida pectora; instar roris fœcunditatis  
sterilia corda ad obedientiam producendam.

4. Nónne servi, Domini, subditi, Regis; creature,  
creatoris agnitæ voluntati annuant?

5. Idcirco Prophetæ, suis in concionibus, semper  
Dei movere voluntatem, clamantes: Sic ait Dominus  
&c. *Esa. 57.*

6. Non ministrorum, sed magistri homines mo-  
vet voluntas: ergo & illa urgenda, imprimenda.

1. *Usus. Correctio.* Qui audiunt *magistri* volun-  
tatem, sed ei non obediunt, *Matt. 7.* Ille *magister* mul-  
ta dicit in S. coena, de cruce portanda, de crucis via-  
calcanda, de patientia demonstranda, *Luc. 21.* Sed illi  
*magistri* discipuli esse detrectant, similes Adamo &  
Evæ, Dei voluntatem audientibus, sed non facienti-  
bus, *Gen. 3.* Dicebat Deus Sauli, ut omnia Hamaleki-  
tarum bona anathemati devoveret, sed ille non au-  
scultabat Dei mandato, *1. Sam. 15. 19.* ita & *magister*  
Christus multis dicit, ut seipso abnegent; Sed quis,  
huic magistro, S. in coenâ, aures præbet morigeras?  
Multa dicit, de angusta semita terenda, *Matt. 7.* de car-  
nis libidine supprimenda; de sobrietate diligenda,  
*Luc. 21.* de avaritia effugienda: Sed quis, huic in S.  
coena, aures præbet dicenti?

2. *Usus. Admonit.* Auscultemus huic *magistro* Iesu  
Christo. Nam omnia, quæ ille dicit, S. in convivio,  
verba, sunt animæ remedia, tentati arma, fidei prin-  
cipia,

cipia, Rom. 10. Quæ ille *magister* Iesu Christi nobis *dicit*, sunt verba vitæ, Joh. 6. sunt merē doctrinæ; sunt consolationis scatebre. Quæ ille *dicit magister* verba in S. cœna, sunt juga facillima, sunt præcepta salutaria, sunt cœcis lumina. Quis jam huic *magistro*, in S. cœna, loquenti, non auscultaret? Quis hujus *magistri* verba in S. cœna, instar vitæ normæ non haberet? Regina Schebæ cum admiratione Salomoni *dicenti* attendebat, 1. Reg. 10. Nōne nos huic *magistro*, Prophetæ magno, Patris cælestis verba, Job. 1. in S. cœna cū admiratione, voluptate, fide, attendamus? Nam ille Salomone major, ille Salomonis creator, sapientiæ illius dator. Auscultemus in S. cœna Christo *dicenti* nobis gratissima de benevolo patris sui erga nos corde, de sanguine suo nostri redēptione, de morte sua, nostri vivificatione. Quis huic *magistro* non auscultaret? *Habuisti quomodo appelletur*: Percipite modū;

II. *Quid desideret.* Præstitutum tempus meum propè est, apud te faciam Pascha cum discipulis meis. Tempus illud ab æterno decretum, per Prophetas promissum, jam advolavit. Tempus doloris, tempus mororis, passionis tempus, crucifixionis tempus, mortis tempus. Festum Paschatis apud te celebraturus, tanquā verum Pascha, verus agnus Paschalis maestandus, immolandus, affandus. Quo pii spiritualem odorem, saporē, alimoniam, vitam, refectionem, voluptatē, uberrimam offendet.

## D O C T R I N A.

*Christus sponte passus est.*

R A T I O. 1. *Quia illi constabat passionis tempus,* & illud tamen non subterfugiebat.

2. Ille Isaacus, qui sponte altari crucis imponi voluit, Gen. 22. Ille Josephus, qui malevolis fratribus occurrat, Gen. 37. Ille David, qui se ad conflictum contra Goliam hunc obtulit, 1 Sam. 17.

3. Si sponte non fuisset passus, quomodo ille capi, quem cœlum & solum non capiunt? quomodo ille vinciri, qui diabolos constringebat? quomodo ille abduci, qui diabolos expellebat? Mat. 8. quomodo ille superari potuisset, qui ventos compulcebat?

4. Sponte animam depositus, passioni se subjecit, pro peccatis sese immolavit, amorem erga electos demonstravit, Job. 15.13. Job. 10.18. Esa. 53.10.

5. Ille ut obedientissimus, hic obedientiam; ille, ut patris dilectissimus, hic charitatem erga ipsum sumam demonstrare voluit, Ps. 40.8.9. Esa. 50.7. Job. 14.30.31. Rom. 5. 19.

1. **U s u s . Correlt.** Qui hunc Christum nō amant, ipsius S. cœnam non frequentant, ipsius merita non affectant. Christus præstituto tempore horroris, tremoris pascha edit, & illi præstituto tempore spiritualis voluptatis, hilaritatis S. cœnæ, Christum verum Pascha ibi edere recusant. Christus præstituto ira Dei tempore Pascha edit, & illi præstituto gratia Dei tempore, S. cœnam celebrare subterfugiunt. Præstituto igitur pœnæ illorum tempore, magnâ cœnâ orbabuntur, Luc. 14. Candelabro Euangeli spoliabuntur; Luce gratia privabuntur. Præstituto igitur ita divinæ tempore, diaconi erunt convivæ, qui Christi noluerunt esse aſſeclæ; obruantur tormentis, qui Christi noluerunt recipi meritis.

2. Usus. *Admonitio.* *Præstituto S. cœnæ tempore confluamus ibi ad Christum, verum Pascha edendum, cū gaudio, ut David confluebat ad sacra, Ps. 43. & 122. *Præstituto tempore comparcamus veste nuptiali,* Matt. 22. verâ fide, charitate sincera, ut gustemus, quâm suavis sit Dominus Christus, Ps. 34. ut *præstituto tempore anime moestæ consolatio, gravatæ allevatio cōtingat.* Ut *præstituto tempore,* S. in cœna sol divinæ gratiæ nos reficiat; consolator ille Spiritus S. nos muniat; sanguis Jesu Christi peccata nostra abluat, i. Joh. 1. Ut *præstituto tempore* S. in cœna, veluti spirituali arca, anima nostra suam inveniat requiem; & Bethesda suam reperiatur salutem. Hæc paucis de authore: Jam ventilanda sequitur; II. *Quæstio ipsa.* Ubi examines:*

I. *Locum, quem à patrefamilias petant.*

II. *Rationem quam dent, petitionis.*

I. *Locum, quem à patrefamilias petant. Ubi est diversorium?* O humilitatem! qui solum formavit? solum domicilium; qui animanti latibulum ordinavit, diversorium petet; monstres nobis conclave; Salvator blandis verbis istum vult compellari hominem, quamvis summo jure poscere illud potuisset. Nam mera humanitatē humanissimus Christus semper spiravit; nullum imperium, sed desiderium indicavit.

### D O C T R I N A.

*Christi ministri blandi verbis homines, ad Christum recipiendum, invitabunt.*

RATIO 1. *Ubi est diversorium?* Nulla hic verborum asperitas, sed mera suavitas.

2. *Illa humanitas, est inßtar clavis, sèpè hominis cor*

pro Christo referantis; instar manus, illos suaviter ducentis; instar olei, illorum moesta pectora reficientis.

3. Illa humanitas homines ad Christum allicit, invitat, pertrahit, inflamat.

4. Quam blandis, Salvator ipse, homines ad se pertrahit, verbis, *Matt. ii.* Venite ad me, dicens, qui laboratis, *Job. 6.* Venite ad me qui sititis. Quid referam de Esaia, clamante; Heus, heus ad aquas, *Esa. 25. 55.* &c. de Salomone invitante, *Cant. 5.* comedite amici. De Apostolo Paulo, intonante illud dulce: Reconcilimini Deo, *2. Cor. 5.*

5. Blanditiis potius, quam minis instituendi, & magis, ad Christum accipiendo, ducendi, quam trahendi, admonendi, quam compellendi sunt.

1. *Usus. Correcțio.* Quamplurimi inhumanitate homines à Christo absterrent, ita ut Christus obtorvum ministrorū vultum, verba aspera, sæpen numero diversorum in hominum animis non inveniat. Multi quoque inveniuntur, qui, licet suavissimis, ad Christū excipiendum, sint invitati verbis, tamen Christo diversorum in animis concedere recusant. Ut Bethlehē ipsi coenaculum non concedebat, *Iuc. 2. 7.* Et ut Samaritani ipsi urbem, ad ibi per noctandum denegabant: ita & illi, Christo cor ad ibi commorandum, dengant. Mundus, diabolus diversorum in illorum cordibus accipiunt, & Christus excluditur. *Diversorum* ibi invenit hominis inimicus, & Christus illorū non admittitur amicus. Mors ibi reperit diversorum, & vita avertitur. ô funestum illorum statum! ubi mundus, diabolus & caro diversorum in corde hominis nacti sunt.

sunt, ibi Dei iræ signa, & nulla ipsius gratiæ vestigia; ibi exulit pietas, ibi regnat iniquitas, ut vermis à pomō admissus, ipsius voluam perforat; ita & illi hospites corde admissi, illud perforabunt. Ut venenum admissum enecat cor: ita faciunt peccata, in illo diversorum invenientia: ut pestis calorem insitum, innatum extinguit, diversorum hominis in corpore inveniens; ita & iniquitas hospitium hominis in corpore & corde reperiens, erga Christum extinguit amorem. Qui latrones excipit diversorio interimitur: ita, qui peccata suscipit, morietur.

2. Usus. *Admonitio.* Quando, ô fratres charissimi, nos ministri vobis dicimus, ubi est fides in Jesus Christum? Ubi vera conversio? ubi lacrymæ pœnitentiales? Nónne dicimus tum, ubi est diversorum pro Christo? Quando intonamus illud, induite Christum, *Galat. 3.* Osculamini filium, *Psalm. 2.12.* honorate gloriae Dominum, *psal. 24.89.* Nónne dicimus, ubi est diversorum pro Christo? Quando clamamus, Recedite à malo, & facite bonum, sectamini pacem, *psal. 34.15.* tollite crucem, *Matth. 16.* Nónne dicimus, ubi est diversorum pro Christo pulsante corvestrum? *Apoc. 3.* ô beatos vos, si Christo diversorum præbeat! Quàm fœlix erat Lothus diversorum præbens Angelis! Quàm fœlix eris & tu, ô anima, diversorum offerens Christo Angelorum domino! *Hæc de repetitione loci.* Jam:

I. Dent rationem petitionis. Ubi Pascha cum discipulis meis edam; juxta Dei mei Patris mandatum. Ubi edam, & me amore divino reficiam; Ubi edam, &

meos discipulos de salutari illius usu instituam; ubi edam, & ita me verum esse Pascha edoceam.

## DOCTRINA.

*Christus sua vult peragere opera, in corde ipsum recipiente.*

RATIO I. *Ubi Pascha edam cum discipulis meis.*

2. Ibi demonstrat signa gratiosæ suæ præsentiae: illud donis & bonis replere, spiritu docere; illud fide donare, pace beare gestit, *Job. 14.17.*

3. Ut Zachæus, Christum recipiens, salvabatur, *Luc. 19.* Ita quivis mortaliū, Christū recipiens, salvatur.

4. Ut Angeli à Lothro accepti, liberationis ibi ipsius opera peragebant, *Gen. 19.* ita Christus acceptus in hominis anima liberationis opus conficit.

5. Nos venimus ad eum, & apud eum habitabimus, *Job. 14.23.* ut vivum conservem spiritum demissorum, *Esa. 57.19.*

6. Præparato corde cupit sua perficere opera: ita ut illud beat spiritu, nobilitet redemptionis fructu, dicit genuino Paschatis usu, *Job. 6.* coronet illud fide, spe, & charitate, cardinalibus istis pii pectoris virtutibus juxta ac laudibus.

I. *Ubi us.* Correct. Christus non edet Pascha vobiscum, ô impii! Quoniam cor vestrum illius non vult esse diversorium, ille etiam non divertetur apud vos, ille non beabit vos. Diabolus ibi commoretur cum suis; edet vobiscum tandem in infernali cœna tormenta, supplicia, ignem, vermem, *Esa. 66.* Edebat filius prodigus cum suis, & non saturabatur, *Luc. 15.* Edes enim diabolo, & non saturaberis, cum infernali bus

bus istis impiis spiritibus, impiis Diaboli discipulis. Ô cœnam funestā, animę restim! Quām deploratus erit tuus status, ô homo! dum Diabolus tanquam *magister edat tecum*, ut cum discipulo suo, suo mancipio, in infernali ista cloaca; in sulphurea ista cœna! *Luc. 16.*

2. U s u s. *Admonitio.* Fœlices, terque quaterque fœlices vos, si cor vestrum Christi erit *diversum*, Obed-edomi domus erat benedicta ob arcę p̄ficiam, *z. Sam. 6.* Et item tua anima erit benedicta Christi ob præsentiam. Ille *edet ibi* Pascha, ut cor tuum fructu passionis suę replete. *Edet ibi*, ut tibi se agnum esse tuum Paschalem, pro peccatis tuis mactatum, innuat; *Edet*, ut animæ musculos suā reficiat gratiā; *Edet*, ut pinguedine domus suę te nutriat, *Psalm 36.* Fœlix erat Abrahamus, cum Angeli, in ipsius ædibus, cibum caperent, *Gen. 19.* Fœlicissima erit anima tua, cum filius Dei ibi *edet*, illam exhilarando, illuminando, beando, propugnando. Ille, ut pater, *edet* tecum suo filio; ille sponsus, tecum sua sponsa; ille magnus Propheta, tecum suo discipulo, in pace & salute, in solatio & gaudio. ô splendidissimam cœnam, ubi tu, ô anima, auscultes tanquam discipulus tuo informatori, & Redemptori, & ex ipsius corde amorem, ex ipsius ore salutem hauries! *Hactenus de quæstione:* Occurrit jam nobis;

II. *Responsio:* illam quod spectat; Notes hīc:

I. *Responsionem ipsam.*

II. *Ad illam discipulorum mandatum.*

I. *Responsio ipsa.* Tunc ostendat vobis cœnaculum magnum stratum. Non vile aliquod conclave, sed dignissimum

sum; non parvum, sed maximum, luculentum; augustum, stratum, paratum, ornatum. Dignissime, maximo illi Prophetæ maximum conclave; Augustissimo Regi, augustum cœnaculum; sanctissimo sacerdoti, optimè concinnatum conveniebat triclinium. Imò discipulorum numerus requirebat etiam tale.

## DOCTRINA.

*Homines Christum libenter excipient.*

RATIO. I. *Hic ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, libentissime.*

2. Cur non pauperrimi, hunc ditissimum; miserimi, hunc beatissimum; abjectissimi, gloriosissimum; captivi, liberatorem; ægri, sanatorem; oves, pastorem reciperent? *Luc.1. & 19. Joh.10.*

3. Ille fons omnium bonorum, flumen siti presorum, lumen electorum: ille est rupes salutis, corona certantis, clypeus pugnantis, meta cursantis, refectio anhelantis animæ, *Matth.1. Luc.1. Joh.6.*

4. Propterea ipsum miserorum peccatorum caterva exceptit; ipsius pedes peccatrix lacrymis irrigavit, *Luc.7.* Mulier alabastrum unguenti nardi liquidè effudit, *Marc.14.3.*

5. Si subditi Regi terrestri summa voluntate sua ædificia, imò pectora repræsentant: Cur credentes Christo, Regi cœlesti, non se, & sua corda & conclavis offerrent? *Psal.24.*

6. Qui Christum excipit, ille salutem & dignitatem, vitam & gloriam, fœlicitatem & voluptatem excipit, *Luc.19. Matth.11. Joh.14.*

7. *Usus. Corredio. Ó peccatores! Non ostenditib*

*ris nobis, Christi ministris, ad S. cœnam vos invitantes, cor vestrum, tanquam spirituale cœnaculum; stratum, sed imparatum, impurum, mundo consecratum. Vos ostenditis nobis animæ cœnaculum Christo occulsum, mundo apertum, Diabolo consecratum: cœnaculum parvum, peccatis, Christi hostibus, magnum; Christo obscurum, mundo luculentum; Christo abjectum, mundo basilicum. Vos ô peccatores! ostenditis Christo cor vestrum in S. cœna, nulla conversione, nulla oratione stratum. Ostenditis, in S. cœna, corpus vestrum stratum diabolo, mundo, avaritiâ, superbiâ. Stratum aulæis ebrietatis, sellis securitatis; stratum pulvinaribus voluptatis, lapidibus pravitatis. Quid peccatores, cœnæ contemptores istis stratis offendatis cœnaculis, impietatis propugnaculis. Prostratam cernatis in illis fidem, charitatem; prostratam coronam, gloriam; prostratam pacem, salutem. Quid funestius funestis istis locis, Satanæ cloacis?*

2. *U s u s. Admonitio. Offerte, ô fratres, Salvatori, S. in cœna, cor vestrum, ceu cœnaculum spirituale, stratum, & mundatum doloris rivulis: stratum, adornatum legis scopis: stratum humilitate, charitate; stratum, Dei invocatione, mali declinatione; stratum patientiâ, clementiâ; stratum modestiâ, munificentiâ. Principem in ædes nostras excepturi conclavia reddimus nitida: Principem, Regem illum Regum, *1. Tim. 6.15.* in cœnaculum cordis nostri excepturi, mundemus illud. Purâ Joseph sindone corpus Christi involvebat, *Matth. 27.59.* ita strato cordis nostri cœnaculo Christus includatur. Quam parvum, ô bone*

Iesu

Jesu, cordis nostri *cenaculum est*, & tu maxime; quam  
imputum, & tu sanctissime, nihilominus in illo, fra-  
cto nostro, & dilacerato; contrito & fesso gaudes  
spiritu, *Psal.51. Esa.66.* Hoc summum nostrum, ô dul-  
cissime Jesu, est solatium, ad convivium tuum advo-  
laturi, te delectari strato humilitate corde; strato con-  
versione pectore; strato sanguine tuo corpore. Quâ-  
vis cœleste possides palatum; terrestre tamen etiam  
diligis *cenaculum*. *Hæc responsionem attinent:* Au-  
diamus jam;

**I I.** *Ad illam discipolorum mandatum.* Illic parate  
*Pascha* vos mei discipuli, amici, auditores, fratres. Nam  
ut promptum istius viri invenistis animum, ita *stra-*  
*tum* pro nobis reperietis *cœnaculum*. *Illud Pascha pa-*  
*rate*, ubi cuncta *parata*. Illic pascha celebrare deci-  
vi, ubi hospitem nos amare percepit.

### D O C T R I N A.

*Christus, per ministros suos, salutis negotia perficit.*

**R A T I O. I.** Illic parate *Pascha*, vos mei electi, dile-  
cti ministri.

2. Illi ministri sunt spirituales pescatores, per-  
quos homines rete Euangeli, ex mundi hujus im-  
mundi profunditate trahit, *Luc.5.* per quorum lin-  
guam ceu tubam, illos, ad gratiæ mensam, convocat,  
*Luc.14.* per quorum doctrinæ, ceu semen, fidem in illo-  
rum animis procreat, *act.16.* per quorum admonitio-  
nē ceu ignem, amorem erga Deum, accendit, *Jer.23.*

3. Illos ministros, veluti legatos, ad homines ab-  
legat, *2. Cor.5.20.* veluti operarios, in vineam aman-  
dat, veluti servos, ad homines invitandum excitat  
*Rom.13. Tit.3.1. & 7.1. Cor.4.1.*

4. Per ministros verba salutis illis prædicat, Rom. 1.  
sigilla pacis illis administrat; ad virtutes illos insti-  
mulat; contra cacodæmones illos armat.

1. Usus. *Correct.* Arrigite jam aures sacrorum  
derisores; sacramentorum profanatores. Ministri  
Dei, non parabunt illic pascha, ubi Christus deridetur;  
illuc, ubi sanguis Christi conculcatur; illuc, ubi sacra  
cœna profanatur; illuc, ubi crux Christi nihil aestima-  
tur. Pararent Christi ministri pascha, S. cœnam, pro  
vobis imparatis, nulla nuptiali veste ornatis, Matt. 22.  
Omni puritate orbatis? Matth. 7. Pararent Christi servi  
pascha, S. synaxin, pro Satanę theatris; nequitie an-  
tris; pro tabernis vitiorum, instrumentis peccato-  
rum? Pararent illic pascha, S. convivium, ubi fontes  
malitiæ, montes superbiæ, pontes luxuriæ cernuntur?  
Pararent illic pascha, S. Eucharistiam, ubi corda, dia-  
boli machinis, mundi præstigiis, carnis desideriis,  
parata reperiuntur? Absit, absit hoc à Christi disci-  
pulis, ministris.

2. Usus. *Consolatio.* Quis non stratum Christi  
ministris ostenderet cordis sui cœnaculum, ut illic pascha,  
Jesum Christum, pararent institutione; illic corre-  
ctione; illic consolatione? Quando illi clamant, in S.  
synaxi, Christi sanguinem pro peccatis tuis esse effu-  
sum; Christi corpus pro debitis tuis, esse immolatum;  
ut illius in sanguine, purificationem; in illius crucifi-  
xione, benedictionem; in illius morte, vivificationem  
reperires, nonne illic tum pascha parant; illic, in magno  
cordis tui cœnaculo: magno, Dei gratiâ; magno, spiri-  
tualium copiâ; magno, perenni lætitia? Illic parant in  
corde

corde tuo tum p<sup>a</sup>ſcha, ſplendidum convivium, ut possis cantillare: Dominus eſt paſtor meus; clypeus meus; portus meus, Psal. 23. & 3. Dominus eſt mea lux, mea vita, mea ſalus, Psal. 27. Illic parant in anima tua convivium pinguium, ut illa niteſcat, vivat, vi-geat. Ut in certamine vincas; in cruce valeas; in morte vivas. Illic, ô anima, ubi Christus natus, paratus, datus; ibi in tentationis caligine ſol; in persecutionis æſtu re-ſrigerium; in crucis onere allevamentum; in mortis agone fulcimentum reperitur. O ſuaviffimam conſolationem! Jam ſequitur:

III. Discipulorum obedientia. Profecti vero inven-ruunt omnia prout dixerat eiſ: & paraverunt paſcha.

Obſervetur:

I. Discipulorum promptitudo, in negotii confectione

II. Quid illis contigerit.

III. Quid effecerint.

I. Discipulorum promptitudo in negotio conficiendo: Profecti igitur. Hic variae discipulis obrepere potuifſent remoræ, quominus Christi mandata exequantur: Nam, Hierolonymam Christi norant adverſam, & de hospitis animo potuiffent nutare, & tanto hominum confluxu, hospitium indagare haud leve erat nego-tium. Sed carnis oculis hīc clausis, fidei apertis, obſacula cuncta perrumpunt, varias inter ſe colluctan-tes cogitationes vincunt, Christi mandata perficiunt. Illi non carnis nituntur consilio, ſed Salvatoris man-dato. Illi agunt, non quod caro jubet, ſed quod Chri-ſto lubet, certò certius statuentes Christum iuſtissi-mum, non niſi iuſta, ſanctiſſimum, non niſi ſancta-ſalva-

salvatorem, non nisi salutaria suis imperaturum esse.

## D O C T R I N A.

*Arduis in negotiis, Dei verbo nitendum est piis.*

RATIO. I. Illi profecti sunt, licet multa illis occurrebant obscura, factu difficillima.

2. Dei verbum est sanctissimum, æquissimum, justissimum, & ita fidei fulcrum.

3. Huic verbo, tanquam Regis mandato, illi ceu subditi; tanquam patris voto, illi ceu liberi, se subjiciant, illo ut nitantur.

4. Huic verbo incumbebat Noachus arcam ingrediens, Gen. 7. 5. Lothus Sodomam egrediens, Gen. 19. Abraham patriam deferens, Gen. 12. 1.

5. In illo Dei verbo, salutis anchora, pacis nuntia, cordis lætitia est sita.

6. Hoc Dei verbo qui nituntur, in ignominia, gloriam; in penuria, copiam; in pugna, victoriam adipiscuntur, Deut. 28. Psal. 81. ¶ 84.

I. Usus. *Correctio.* Quam plurimi, proh dolor! reperiuntur, qui non juxta Christi mandatum, ad S. cœnam proficisciuntur, sed carnis blanditiis, cacodæmonis promissis, mundi remoris, ad Christum ire tergiversantur. Ut illi boum emptores, uxorum duces, agrorum contemplatores, Luc. 14. Non proficiuntur, carnis irretiti voluptatibus; mundi capti honoribus; Diaboli addicti opibus: quæ omnia salutis sunt remoræ; bona intentionis fures; piæ cogitationis latrones; devote orationis hostes. Desideratis veras opes, defecatas voluptates, perennes dignitates? Proficisciunti ad Christum illarum omnium fontem.

2. Usus. *Admonitio.* Proficiscamur, ô fratees charissimi, ad Christum, ad S. convivium, ut perficiamus Dei mandatum. Claudamus carnis oculos, & fidelisperiamus. Proficiscamur, ut cœlum in solo adipiscamur: proficiscamur, ut pace, in bellorum strepitu, fruatur. Proficiscamur auscultantes non carnis decreto, sed Redemptoris præcepto: nam quod carni displaceat, fidei placet: quod carni amarum, fidei est charum. Gideon, ad Dei mandatum, profectus est contra Midianitas, *Jud. 7.* nōnne nos, ad Christi præceptum, proficiscamur ad sacras epulas? Si Israëlita, Dei ad voluntatem, profecti sunt in desertum, nōnne nos, Christi ad petitionem, proficiscamur ad animæ paradisum, sacram convivium? Illi profecti sunt ad aquas amaras, *Exod. 15.* nōnne nos proficiscamur ad aquas gratas? Hoc qui agunt, salutis negotium peragunt: & illi corroborantur in cruce, illi illustrentur in luce, & de hac cœnâ, ad magnam illam cœnam, profecturi sunt, cursitantis metam, dimicantis coronam. *Hæc de discipulorum promptitudine:* Jam ponderemus;

II. *Quid illis contigerit.* Invenerunt omnia prout dixerat illis. Ad amissim omnia juxta Christi effata offendiderunt. Nihil defuit eloquio verissimi, præsagio sapientissimi, imperio potentissimi, *Ps. 33. 9.* O magnificen-tiam Christi, summa ipsius abjectione adorandam! ô potentiam Christi, illius infirmitate, venerandam! Quanta cum admiratione illum discipuli adorarunt! quanta cum alacritate omnia pararunt! quanta cum voluptate cuncta narrarunt!

## DOCTRINA.

*Christus est verus Deus.*

RATIO

R A T I O . 1. En tibi hic Christi omniscientiam, omnipotentiam: naturam enim hic hospitis & novit, & regit: & ita hospes, quod Christus desiderat, facit. Nam *invenierunt omnia prout dixerat illis.*

2. Christo attribuuntur attributa divina, opera divina, gloria divina.

3. Vocatur filius Dei dilectus, *Matt. 3. 17.* Filius Dei unigenitus, *Joh. 3. 16.* Deus gloriosus: Deus benedictus, *Rom. 9. 5.* Filius Dei viventis, *Matt. 16. 16.* Filius cuncta agentis, *Joh. 1.*

4. Et Deus debebat esse, ut mortem debellaret, cacodæmonem profligaret, *i. Joh. 3.* ut compararet justitiam, *Dan. 9. 2. 4.* Gubernaret Ecclesiam, *Eph. 1. 22. &c.*

I. U s u s . C o r r e c t . Hoc instar fulminis, aures tuas juxta ac animū, ô impie, ô insane, & vesane, feriat. *Invenies omnia prout dixit tibi Jesus.* *Invenies cœlum prote clausum, infernum apertum; vindicem severum, judicem justum.* *Invenies omnia prout Christus tibi dixit:* non gustabis magnam illius cœnam, *Luc. 14.* non intrabis cœli gloriam, *Matt. 25.* non aspectabis immarcessibilem coronam. *Invenies omnia prout Christus tibi dixit.* Tu, ut zizania, inferni immoleris foco: tu, nuptiali ueste destitutus, regni exturberis convivio, *Matt. 22.* tu, fidei lampade non instructus, sponsi orberis palatio, *Matt. 25.* Tu, misericordiæ laude nudus, inferni crucieris tormento, *Luc. 16.* Tu profane, *invenies omnia prout dixit tibi Jesus;* locum, impiorum laqueum; locum, justitiae divinæ speculum, & malitię humanę indicium: *invenies hospitem Absolome crudeliorem, Cœnaculum, miseriaram cumulum;* *invenies verme,*

DE SACRA COENA  
ignem, dolorem, *Esa. 66. 2. Thes. 1. 8. Apoc. 20. 14.* Invenies  
supplicium, quia noluisti convivium; invenies tor-  
menta, quia noluisti spiritualia tragemata. O dignum  
convivium indignis istis convivis!

2. *U s u s . C o n s o l a t i o .* O beatos nos Christi man-  
dato, dicto audientes! Nam omnia inveniemus prout di-  
xit nobis dulcissimus noster Iesus. Inveniemus mensam  
lautam, coenam spiritualem opiparam, *Ps. 23.* Invenie-  
mus hospitem, nostram voluptatem: Inveniemus con-  
naculum, nostrum gaudium: Inveniemus illud stratū,  
& amorem Dei nobis paratum. Inveniemus oneris no-  
stri allevationem; iniquitatis nostrę deletionem; cala-  
mitatis nostrae profligationem. Inveniemus omnia, cru-  
cis levamen, cordis solamen: Inveniemus contra pau-  
pertatem, thesaurum; contra tentationē, perfugium;  
contra mortem, clypeum. Inveniemus, in S. coena, in  
Christi humilitate, nostri exaltationem; mactatione,  
liberationem; sanguine, purificationem. Inveniemus  
omnia, prout dixit nobis dilectissimus Christus, in ma-  
gna coena, consortium honorabile, manna delectabi-  
le, præmium desiderabile, gaudium durabile. Inveni-  
emus ibi vitam beatam, coronam paratam, gloriam  
datam. Quid suavius, ô anima, ô dilecta, hac suavitate?  
Hanc qui invenit, omnia invenit. Intellexisti quid disci-  
pulis contigerit: Intellige jam;

III. *Quid efficerint.* Paraverunt Pascha, ad nutum  
& mandatum Magistri dilectissimi, cuius voluntas  
illorum erat voluptas; cuius verba, illorum erant præ-  
cepta; cuius imperium, illorum erat documentum.

### D O C T R I N A.

*Mandata Christi perficienda.*

RATIO

RATIO. I. *Discipuli juxta Christi mandatum, paraverunt Pascha.*

2. *Quis non perficeret mandata Christi oratoris, salvatoris, pastoris.* (r. 2.)

3. *Christi mandata sunt suavia, salutaria, necessaria.*

4. *Illa mandata sunt virtutum documenta; vitiorum antidota; consolationum principia.*

5. *Si Regis alicujus mandata sint perficenda, quanto magis Regis Regum mandata erunt procuranda.*

1. *Usus.* Corredit Quot, heu! Christo sunt inobedientes. Illi non accedunt ad Christi cœnam; ad illius gratiam: Illi non parant oculos, ad amoris divini ibi contemplandum specula; illa fœderis sigilla; illa fidei nutrimenta. Illi non parant manus, ad illa signa ritè acceptandum; os, ad illa sancte delibandum; cor, ad illa fervidè laudandum. Non parant se ad S. cœnam obedientiâ, patientiâ; non parant se ad illam, filie, charitate; non parant se virtutibus, bonis operibus: ideo offendent parata tormenta, supplicia cum Beth-Schemitis, I. Sam. 6. 19. Luc. 14.

2. *Usus. Admonitio.* Paremus cor nostrum, ut discipuli pascha paraverunt. Paremus cor nostrum conversione, devotione, oratione. Paremus nos virtutum desiderio, vitiorum odio, bonorum operum studio. Paremus cor nostrum lacrymarum rivulis, ardentissimis suspiriis, cœlestium votis. Paremus illud cor nostrum ceu spirituale cœnaculum, meditatione, lectione, ruminatione mandatorum salvatoris Jesu Christi. Beati erunt ita se preparantes, quia paratam Dei gratiam, Christi munificentiam, in S. convivio reperient; labiaque sua, ad gratitudinem Christo præstandam, aperient. Pares, o Jesu, cor nostrum, spiritus tui oleo, amoris tui balsamo, sanguinis tui pretio, gratum gratiose tue præsentiae ut existat palatum. *Hec quoque dicta de ultima concionis columnna;* Audivistis: I. Christi mandatum. II. Discipulorum obsequium.

### E P I L O G U S.

*Samuel dicebat Deo: loquere quia servus tuus audit,* I. Sam. 3. 10. *Christus locutus est, & discipuli audiverunt, et ut omnia ad Christi nuntium fecerint; & cuncta, secundum illius, effatum, invenerintur.*

# INDEX DOCTRINARUM.

54. *Ad Christum miseri peccatores confluerunt.* 223  
 55. *Christus afflitos, mestos credentes solatio resicit.* 226  
 56. *Christus fidelium cibus est vivificus.* 233  
 57. *Piorum erga Christum officium hic graphicè adumbratur.* 238  
 58. *Unio & com: Christi & Christiani egregiè adumbratur.* 241  
 59. *Unio fidelium cum Christo est indissolubilis.* 245  
 60. *Deus afflitorū peccatorū ad ipsum confusorū miseret.* 252  
 61. *Deus homines per verbi sui ministros ad salutem perducit.* 256  
 62. *Deus mera ex gratia peccatores miseros, nudos ornavit.* 259  
 63. *Deus peccatores conversos splendidissimè ornat.* 261  
 64. *Dei beneficia peccatoribus quomodo applicanda.* 265  
 65. *Deus per S.S. pecc: conversos de gratia sua certos reddit.* 267  
 66. *Deus homines ad viā obedientie calcandum aptos reddit.* 271  
 67. *Deus paenitentes ex gratia ad vitam eternam nutrit.* 276  
 68. *Deus peccatores paenitentes lautissimè tractat.* 279  
 69. *Christus crucifixus peccatoribus conversis offertur.* 282  
 70. *Conversi, Christi beneficia sibi applicent.* 285  
 71. *Deus delectatur hominum salute.* 289  
 72. *Homines pii Dei beneficiis exsultent.* 293  
 73. *Sacraenta sunt magnificienda.* 299  
 74. *Personæ sacrae sacris perficiendis proficiende.* 301  
 75. *Deus desiderat alacritatem in mandatis exequendis.* 303  
 76. *Deus per ministros suos gratia mensam in Eusing. adornat* 305  
 77. *Sacraenta non tantum affectanda sed & applicanda.* 307  
 78. *Sacra omnia D. i juxta voluntatem sunt peragenda.* 309  
 79. *In Dei Ecclesia sacramenta sunt administranda.* 312  
 80. *In Ecclesia Dei, Christi inveniuntur amici.* 315  
 81. *Christum recepturus crux ferens necesse est.* 317  
 82. *Quali Ecclesiæ hominis sese adjungere debeant.* 320  
 83. *In Dei mandatis proponendis, illius voluntas urgenda.* 323  
 84. *Christus sponte passus est.* 325  
 85. *Christi ministri blandis verbis homines invitabunt.* 327  
 86. *Christus sua vult peragere opera in corde ipsum recipiente.* 330  
 87. *Hominis Christum libenter excipiant.* 332  
 88. *Christus per ministros suos salutis negotia perficit.* 334  
 89. *Arduis in negotiis, Dei verbo nitendum est pīo.* 337  
 90. *Christus est verus Deus.* 338  
 91. *Mandata Christi sunt perficienda.* 340

(85)(O)(86)





